ALBERTI DIETERICI TREKELL

JURISCONSULTI,

SELECTARUM ANTIQUITATUM ROMANARUM

PARS PRIMA,

IN QUA POTISSIMUM AGITUR DE JURE CIVITATIS, QUIRITIUM, LATII, ITALICO, COLONIARUM ATQUE MUNICIPIORUM,

MULTA INSUPER JURIS AC VETERUM SCRIPTORUM LOCA ILLUSTRANTUR.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

HAGÆ COMITUM,

Apud MATTHÆUM GAILLARD.

M D C C X L I V.

Digitized by Google

VIRO

MAGNIFICO

ATQUE ILLUSTRI

CONRADO WIDOW

J. U. L.

REIPUBLICÆ HAMBURGENSIS

CONSULI

LONGE MERITISSIMO,

PATRIÆ PATRI,

DOMINO ATQUE PATRONO
SUMME VENERANDO,

OPUSCULUM HOC

DAT, DICAT, CONSECRAT

CLIENS DEVOTISSIMUS

ALBERTUS DIETERICUS TREKELL.

Digitized by Google

VIR
MAGNIFICE
ATQUE
ILLUSTRIS.

NOn dubito, fore multos, qui hoc ſcribendi genus leve, & non tam ſummorum in republica virorum perſonis, quam hominibus ſcholaſticam magis vitam agentibus, dignum eſſe judicent. Sed hi erunt fere, qui Antiquitatum Romanarum utilitatem atque dignitatem ex vulgari magis opinione, quam ex rei veritate, aut priſtino ipſius Reipublicæ Romanæ ſplendore, exiſtimabunt. Plurimi enim totum Antiquitatum ambitum in rituum modo quorundam enarratione, & veterum monumentorum explicatione ponunt, & hinc nullam huic ſtudio aliam concedunt utilitatem, quam in explicandis veteribus ſcriptoribus & legibus, propterea que illud in Scholas, aut ſaltem in Academias relegant, a vita vero in republica civili illud quam longiſſime removent. Hi ſi didicerint, quam late pateat cognitionis Antiquitatum Romana-

mana-

manarum uſus, non amplius, ut ſpero, admirabuntur, me principi in Republica viro libellum huncce offerre ſuſtinuiſſe. Præcipuum illud in Antiquitatis ſtudio, quod ab iis, qui minima ſectantur, plerumque negligi ſolet, eſt ipſius Reipublicæ Romanæ accuratior & intimior cognitio. Exinde enim diſcimus, quænam jura civium fuerint, quænam illorum, qui huic imperio ſubjecti erant, quænam jura ſingulorum ordinum, quænam poteſtas Magiſtratuum, penes quem ſumma iſtius Reipublicæ fuerit majeſtas, quomodo publica denique Reipublicæ negotia, externa & interna, belli pacisque tempore fuerint adminiſtrata: quam ſi quis notitiam inſtructuoſam exiſtimet, næ is ignorantiam ſuam prodet maniſeſtiſſime. Etſi enim hodie longe alia Rerum publicarum facies ſit, quis tamen propterea negabit, exactam ſplendidiſſimæ atque perfectiſſimæ iſtius Reipublicæ cognitionem ad prudentiam inprimis civilem quam plurimum conferre. Accedit, quod ne omnia quidem iſtius Reipublicæ inſtituta ita obſoleverint, ut nulla ſibi reliquerint veſtigia, id quod eo minus mirandum eſt, quum hodie jure adhuc Romano regamur, quod ſine ac-

curatiſſima Reipublicæ illius notitia intelligi plane nequit. Sed quid multis me contra imperitos defendam, quum mihi abunde ſufficiat, ſi TU, VIR MAGNIFICE ATQUE ILLUSRIS, benigne opuſculum hocce acceperis; de quo eo minus dubito, quo melius TIBI ipſi, omnis Antiquitatis cognitione inſtructiſſimo, utilitas ejus maxima perſpecta eſt. Verum enim vero longe alia animum meum cura ſubit. Tametſi enim libellus hicce ob argumenti forte præſtantiam non rejiciatur, verendum tamen omnino eſt, ne ob tractationis tenuitatem Tanto Viro indignus judicetur; idque eo magis metuo, quum TE, VIR MAGNIFICE, non ſolum ut virum in maxima dignitate conſtitutum, ſed etiam ut virum, qui inter eruditos principem obtinet locum, conſidero, ut neſciam ſane, utrum dignitas, an eruditio TUA, plus mihi afferat ſollicitudinis. Longius enim, VIR MAGNIFICE, ſi veritas dicenda, ingenii faſcibus, quam conſularibus, alios ſubmoves. Nihilominus tamen, etſi me meæ imbecillitatis probe conſcius ſim, acerrimum ingenii TUI judicium ſubire audeo. Scopus enim hujus operis id omnino requirit, ut tali offeratur viro, qui de rebus in illo propoſi-

poſitis optime judicare valet: Non enim tam docere volui, quam aliorum potius eruditorum de rebus graviſſimus & obſcuriſſimis judicium explorare, eoſque ſimul invitare, ut omnem mecum operam atque curam intendant, ut Antiquitatum Romanarum cognitio in luce ponatur ſplendidiori. Quis vero melius de hiſce rebus judicare valet, quam TU, VIR MAGNIFICE ATQUF ILLUSTRIS, qui ita acri præditus es judicio, ut vel in maximis illis, quæ pro reipublicæ ſalute quotidie geris, negotiis, paucis horis ſubſecivis accuratius de obſcuriſſimis ad eruditionem ſpectantibus rebus judices, quam alii in ſummo otio conſtituti. Ea igitur ſpes me lactat firmiſſima, fore, ut opuſculum hocce ſerena fronte accipias, illudque conſideratione forſan aliqua haud indignum exiſtimes. Si vero præterea auctorem quoque illius, ea, qua alios omnes, qui litteris quocunque modo prodeſſe volunt, benignitate ſuſcipere, illique vel infimum inter clientes TUOS locum concedere digneris, tunc ego omnium mihi laborum meorum, quin omnis anteactæ vitæ, fructum longe uberrimum conſecutus videbor. Mihi vero, præter publicas cauſas, privatæ etiam

tunc eo magis adſtringent, ut vota quotidiæ pro TUA ſalute nuncupem ardentiſſima. Faxit DEUS OPTIMUS MAXIMUS, qui TE, VIR MAGNIFICE, maximo civitatis commodo, omnibus bonis applaudentibus, in hoc dignitatis faſtigio collocavit, ut rebus humanis quam diutiſſime interſis, reique publicæ cum ſanctiſſimo PATRUM concilio quam diutiſſime præſis, ejuſque ſalutem, ut facis, quotidie magis magisque promoveas, rebus denique domeſticis, cum ſplendidiſſima FAMILIA, proſperis ſemper ac feliciſſimis utaris. Ita votis hisce annuat SUMMUM NUMEN, ut ego certiſſimam ſpem concipio, fore, ut TU, VIR MAGNIFICE ATQUE ILLUSTRIS, benevolentia, favore ac patrocinio non indignum judices.

Scribebam Hamburgi, Prid. Non. Septembr. MDCCXLIV.

clientem longe devotiſſimum
ALBERT. DIETER. TREKELL.

PRÆ-

PRÆFATIO.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

ALBERTUS DIETERICUS TREKELL.

Tantus Reipublicæ Romanæ ſplendor eſt, ut facile omnium oculos in ſe converterit. Tantam etiam cognitio hujus Reipublicæ exacta utilitatem præſtat, ut nullo non tempore fuerint, qui de Antiquitatibus Romanis ſolliciti eſſent. Hinc ipſis illis medii ævi ſeculis, quibus eruditio a barbarie veluti opreſſa jacebat, non defuerunt plane, qui huic cognitioni aliquam darent operam. Poſt inſtauratas vero litteras certatim eruditi ad Antiquitates Romanas e tenebris ſuis eruendas quaſi convolarunt, adeo, ut hæc cognitio cum ipſis veluti litteris inſtaurata videretur. Tantus exinde ſcriptorum in hoc

genere numerus exſtitit, ut copia magis, quam inopia laboremus. Nihilominus tamen quilibet, qui paullo accuratius ad ipſius veteris Reipublicæ Romanæ cognitionem animum intendit, neque ſuperficiaria tractatione contentus eſt, facile deprehendet, nondum hanc ſcientiam ita pertractatam eſſe, ut non poſt tantam meſſem ampliſſimum ſuperſit ſpicilegium. Non enim tantum deeſt ejusmodi ſyſtema ac compendium, quod omnibus numeris abſolutum ſit, ſed & ſpecialia argumenta nondum omnia juſta diligentia & accuratione pertractata ſunt. Præterea nullum fere in hoc genere reperitur opus, quod non variis ſcateat mendis & erroribus, adeo, ut neſcias, utrum hodie plus operis inſumendum ſit in aliorum erroribus detegendis & refutandis, quam in novis veritatibus eruendis. Si in fontes horum defectuum & errorum, & in cauſas, quæ obfuerunt, quo minus utiliſſima hæc diſciplina ad ſuam perducta fuerit perfectionem, jam inquirere vellem paullo accuratius, præfatio hæc in juſtum facile tractatum degeneraret: hinc ulcus hocce in præſenti attingere nolo: offeret enim ſine dubio alia in poſterum ad hoc præſtandum ſe occaſio. Imitabor potius Medicos, qui ad ægrotum vocati, non longum cum eo ſermonem de cauſis morbi inſtituunt, ſed remedia magis præſentiſſima adhibent. Ita ego in præſenti

etiam

etiam conabor, ut per ſelectas meas Antiquitates manus medicas adhibeam, ſimulque alios invitem eruditos, ut omnes mecum cogitationes ſuas ad Antiquitates Romanas emendandas conferre velint. Sed quemadmodum Medici, (ut in hac comparatione perſiſtam) ſi iis cum peritis res eſt, rationes medendi ſæpe exponere debent: ita mihi quoque, qui non cum ſolis tyronibus, ſed & cum viris doctiſſimis, quorum examini præſens opus ſubjicio, loquor, id inprimis incumbit, ut rationes meas, quas in emendatione ſecutus fui, exponam paullo accuratius, id quod fieri non poteſt, niſi prius ſtudiorum meorum rationes, & operis hujus hiſtoriam breviter expoſuero.

Semper quidem animus meus præ cæteris ſtudiis ad Hiſtorica inclinavit, etiam in ſcholis propria induſtria Hiſtoriam inprimis Romanam haud perfunctorie tractavi. Quum vero in celebri noſtro Gymnaſio ante annos circiter octodecim litteris operam darem, Vir Celeb. Jo. Christ. Wolfius, *Profeſſor meritiſſimus ac fautor ſtudiorum meorum honoratiſſimus, mihi inprimis auctor ſuaſorque fuit, ut ad Antiquitates Romanas animum applicarem. Haud difficulter hoc mihi perſuadebat, quum ipſe præſertim ſolida, facili ac jucunda methodo viam auditoribus ſuis monſtraret. Non enim deſcriben-*

benda tantum dabat fundamenta hujus diſciplinæ, ita adornata, ut & compendii copioſi, & ſuccincti quodammodo ſyſtematis vicem præſtare poſſint: ſed & in prælectionibus deinde auditoribus ſuis omnia perſpicue explicabat, ſimul vero veterum etiam monumenta, vel ipſa, vel ære deſcripta, monſtrabat. Suadebat præterea vir doctiſſimus omnibus iis, qui non contenti erant cempendiaria eruditione, ut ſtatim ſe ad ipſam veterum Scriptorum, Græcorum & Latinorum, lectionem, cum optimis eruditorum commentariis, accingerent, ſimulque adſueſcerent, ut ipſi præcipua ad Antiquitates pertinentia monumenta obſervarent, eaque ad introductionem illam, quam deſcribendam dederat, juſto loco annotarent. Hoc ego *celeberrimi viri conſilium ſecutus, re ipſa utilitatem ejus expertus fui. Qui enim ſtatim multorum compendiorum, ſyſtematum, aliorumque recentiorum librorum, in quibus ſpecialia argumenta expoſita ſunt, lectione obruuntur, neceſſario in maximam incidunt confuſionem. Ego vero, hauſtis ex laudatiſſimi* WOLFII *inſtitutione juſto ordine principiis, ex ipſa deinde veterum ſcriptorum lectione quotidie magis magiſque accuratiorem mihi formabam conceptum veteris reipublicæ Romanæ, & multa ſimul annotabam, quæ cæteri ſecure præterierunt; quumque ad recentiorum poſtea Scripto-*

pto-

ptorum lectionem quoque accederem, varios aliorum errores, hallucinationes & confuſiones facile animadvertebam. Ita etiam in hocce ſtudiorum genere in Academiis deinceps verſabar, ſi quod mihi tempus a Juriſprudentiæ ſtudio, cui tunc præcipue operam navabam, ſupereſſet. Re ipſa vero tunc arctiſſimum inter Antiquitates & Juriſprudentiam nexum experiebar. Non enim mihi tantum præ aliis facilis videbatur Juriſprudentia & jucunda, quia probe per Antiquitates præparatus ad eam accedebam, ſed & ipſum Antiquitatum Romanarum ſtudium plenam demum lucem ex Juriſprudentia accipere facile intelligebam, ut adeo mirandum non ſit, ſi Antiquarii ſine Juriſprudentiæ cognitione, ut Jurisperiti ſine Antiquitatum notitia, in errores incidant graviſſimos. Abſoluta deinceps Juriſprudentiæ encyclopædia, quum Liberi cujuſdam Baronis ſtudia in Academiis dirigenda in me ſuſciperem, illique Antiquitatum quoque Romanarum præcepta, quantum ſcopus illius permittebat, tradere vellem, id inprimis operam dabam, quum perfectum deeſſet compendium, ut B. Heineccii Syntagma cum Nieupoortii notiſſimo compendio juſto ordine componerem, additis propriis ubique obſervationibus: qui labor primam mihi occaſionem dedit de compendio & ſyſtemate Antiquitatum Romanarum cogitan-

di

di paullo pleniori & accuratiori, Facile tamen animadvertebam, hoc opus cum utilitate & cum laude perfici non poſſe, niſi omnia prius ſpecialia argumenta ita pertractata fuerint, ut in iis nihil amplius deſiderari queat. Hinc ex Academiis in patriam redux factus, ſtatim de ſpecimine aliquo, tum Antiquitatum, tum Juriſprudentiæ, elaborando cogitabam. Arridebat mihi præ cæteris doctrina de Teſtamenti factione, quia jam olim in Academiis amicus quidam occaſionem mihi dederat, ut in eam paullo accuratius inquirerem, dum mihi Diſſertationem quandam, variis novis opinionibus refertam, eum in finem offerret, ut illi meam de iſta ſententiam communicarem. Id illo quidem tempore breviter tantum præſtabam, ſimul vero animadvertebam, multa altioris adhuc indaginis momenta ſupereſſe. Reſumebam ergo hoc argumentum, & integram de Teſtamenti factione apud Romanos Tractationem elaborabam, eamque Viro Ill. GEORG. CHRIST. GEBAVERO *offerebam, qui curam editionis ſponte in ſe ſuſcipiebat. Sed præter utrorumque noſtrorum opinionem per tres integros annos in ſcriniis ejus latebat, donec Lipſiæ tandem A.* MDCCXXXIX. *prodiret. Interea refrixerat fere ardor ille, quo hactenus ſtudium Antiquitatis proſecutus fueram, partim ob varia negotia, & itinera, rei familiaris cauſa ſuſce-*

ſce-

ſcepta, partim quia priſtini etiam ſtudii hiſtorici amores redibant. Sed Tractatio iſta, ſimul atque lucem adſpiceret publicam, reſuſcitabat iterum priſtinum illum ardorem, ita, ut ſerio jam de Antiquitatibus Romanis emendandis cogitare iuciperem. Facile vero perſpiciebam, me operæ pretium non eſſe facturum, niſi prius poſt repetitam veterum Scriptorum lectionem omnia quoque recentiorum ſcripta diligenter perluſtrarem. Hinc non generales tantum ſcriptores diligenter inter ſe, & ratione rerum, & ratione methodi, conferebam: ſed illos etiam, qui ſingularia pertractarunt argumenta, quorum plurimi in magnis illis Theſauris, GRÆVII, GRONOVII, SALLENGRII, POLENI, reperiuntur, cum cura perlegebam. Academica quoque ſcripta minora non prætermiſi, ſi quæ modo ad manus meas venirent: rariſſime enim illa apud nos conſpiciuntur. Præterea varia etiam evolvebam opera critica, philologica & miſcellanea, quippe non ignarus, in iis quoque Antiquitates haud raro illuſtrari. Neque etiam negligebam ſcriptores, qui veterum monumentorum reliquias repræſentant & explicant: qua in re præcipue mihi adjumento fuit inſtructiſſima Celeb. WOLFII bibliotheca. Quum novam interim Selectarum Antiquitatum B. BRISSONII editionem adorna-

na-

Digitized by Google

narem, Appendicem primum ex propria penu addere volebam: ſed creſcebat indies magis magiſque obſervationum cumulus, ut verendum eſſet, ne appendix ipſum opus mole ſua ſuperaret. Hinc de evulgandis ſeparatim ſelectis Antiquitatibus conſilium capiebam, id quod in Præfatione Briſſonii libello præfixa indicavi. Multo latiorem vero campum percurrendum mihi ſumſi, quam Briſſonius ille. Hic enim loca tantum juris civilis quædam ex Antiquitatibus illuſtrare voluit: ego vero univerſam illam, quæ Antiquitatum Romanarum nomine comprehendi ſolet, diſciplinam ita emendare decrevi, ut ab aliis prætermiſſa ſupplerem, perperam vero tradita corrigerem, omnia denique in meliorem ordinem redigerem, & a confuſione liberarem. Hic campus ſane latiſſimus non ſimul, & uno veluti ſpiritu, percurri poterat, ſed ut ſubinde vires denuo reſumere, & tædium lectoribus demere poſſem, obſervationes meas cum orbe erudito particulatim communicare decrevi. Ita vero in toto hocce opere verſabor, ut ea, quæ jam abunde pro dignitate & accurate ſatis pertractata ſunt, argumenta ſecure prætermittam: de aliis autem, in quibus quædam adhuc ſupplenda, quædam perperam tradita corrigenda, proprias meas lectoribus exhibebo obſervationes ſelectas, in quibus aliorum, quæ mihi

mihi non arrident, placita quam modeſtiſſime refutabo; meam vero ſententiam, vel teſtimoniis, vel rationibus ſtabiliam; ea denique, quæ a me ipſo ex veterum lectione obſervata ſunt, fideliter ubique addam. At ſi quæ ab aliis vel plane præterita, vel ſparſim tantum & tenuiter expoſita ſint argumenta, ea pro dignitate integra peculiaribus tractabo capitibus. Ex quibus omnibus facile jam poterit dijudicari, cur huic Selectarum Antiquitatum titulum operi præfixerim. Dum vero ſpondeo, me a vulgaribus, & ubivis obviis repetendis, quantum fieri poteſt, abſtinere velle, non ferenda quidem eſſet hac in re ſupina negligentia, neque tamen, ut ſpero, candidus lector delatoriam veluti curioſitatem a me requiret. Facile enim vel diligentiſſimo accidere poteſt, ut aliquid ex propria penu promat, quod jam ab aliis dictum ſit. Fieri enim prorſus nequit, ut aliquis omnia perlegat ſcripta, in quibus quædam ad Romanas Antiquitates pertinentia occurrunt, quum talia interdum forte fortuna reperiantur, ubi omnium minime quæras. Porro id quoque inprimis dabo operam, ut ad confuſiones evitandas diverſas ubique verborum ſignificationes cum cura evolvam, juſtas & accuratas tradam definitiones, recta denique principia, vel ex ipſis veterum ſcriptis, vel ex forma & analo-

gia veteris Reipublicæ Romanæ eruam, ex quibus cætera deinde per juſtam conſequentiam deduci facile & dijudicari poſſunt. Non enim, ut plerique faciunt, hiſtoriæ tantum ritus enarrabo, ſed ubique, quantum fieri poteſt, rationes inveſtigabo, ut ita ſenſim magis magiſque ad ſcientificam aliquam in Antiquitatibus cognitionem perveniamus: qua de re alibi ſententiam meam latius declarabo. Quemadmodum vero non ubique certa poni poſſunt principia, ſed hypotheſibus ſæpenumero contenti eſſe debemus: ita in concluſionibus etiam non ſemper ad exactiſſimam perveniri poteſt certitudinem, ſed in probabilibus plerumque ſubſiſtendum eſt. In iſtiusmodi vero diſciplinis non ſatis eſt, ut noſtram exponamus ſententiam, ſed neceſſe omnino eſt, ut aliorum ſimul ſententias, quæ dubium lectoris animum reddere poſſent, removeamus. Hinc nemo vitio mihi vertet, quod tam prolixus in aliorum refutatione deprehendar: id quod me non contradicendi libidine, ſed veritatis amore facere, ſanctiſſime affirmo. Omnes quoque eruditos rogatos volo, ut eadem, qua ego in aliorum ſcriptis dijudicandis uſus fui, libertate, meas etiam opiniones ſub examen revocent, & ſi quid melius afferre poſſint, hoc cum orbe erudito communicent. Tantum enim abeſt, ut me talem exiſtimem, qui fallere & falli neſciat,

ut

ut nihil potius humani a me alienum eſſe putem. Omnibus igitur iis, qui meliora docebunt, ipſe gratias agam quam decentiſſimas. Veritatem enim unice præ oculis habeo, & nihil mihi gratius erit, quam ſi illa, vel meâ, vel aliorum opera eruatur. Mihi enim gloriæ ſatis erit, ſi aliis mea qualicunque opera occaſionem dederim, ut doctiſſimas ſuas in lucem emittant obſervationes. Immo, ſi qui eſſent, qui privatim mallent cogitationes ſuas mecum communicare, ego ipſe, ſi luce haud indignæ ſint, eas vel cum, vel ſine reſponſione, ſequentibus hujus operis partibus, ſi auctores permittant, evulgabo. Neminem itaque a lectione hujus operis arceo: immo, quo doctiores erunt lectores, eo mihi erunt gratiores: idquod ſine omni arrogantia dicere poſſum. Niſi enim ſperarem, me quædam dicere poſſe, quæ aliis non in mentem venerunt, ſatius eſſet, totum hoc ſcribendi genus omittere. Non enim id mihi ſumo, quod forſan arrogantius eſſet, me doctiſſimos in hoc ſtudii genere viros erudire velle: ſed ea tantum ſpes me tenet, fore, ut ex hoc opere occaſionem illi arripiant, de quibuſdam accuratius cogitandi rebus, quam alias fortaſſis feciſſent. Quilibet tamen facile videbit, neminem ad hocce opus cum aliquo accedere poſſe fructu, niſi compendiariam ſaltem rerum Romanarum notitiam ſecum afferat.

Hæc in genere de ratione hujus operis dicenda fuerunt. Jam primum ejus ſpecimen, ſive prima pars, poſt longam moram, cujus rationes exponere nihil attinet, in lucem prodit. Initium facere volui a diverſis juribus, quibus non tantum cives, ſed & cæteri maximæ illius Reipublicæ incolæ utebantur. Præmiſi tamen caput de diverſis ſignificationibus vocum: Civitas, Urbs, Oppidum, Vicus, Pagus: *quia hæc doctrina ab aliis nondum accurate ſatis excuſſa fuit, & ea tamen nihilominus ſequentibus lucem affert haud contemnendam. Addidi caput de* Pomœrio, *ob aliquam cum priori connexionem, & quia melior occaſio ad manus non erat: novam enim Dacerii ſententiam, a nemine, quod ſciam, ſub examen revocatam, refutatione dignam cenſui. Hinc capite tertio utiliſſimam tradidi doctrinam* de modis adquirendi civitatem Romanam, *quam alii vel plane neglexerunt, vel ita ſparſim tantum attigerunt, ut juſta adhuc tractatione indigere videretur. Confundunt præterea plerique eruditorum jus civitatis cum jure municipali, dum adoptionem referunt inter modos adquirendi civitatem Romanam: confundunt etiam titulum cum modo adquirendi, dum emtionem ad modos adquirendi referunt, quæ tamen pro titulo haberi tantum poteſt, neque enim unquam ad eas venerunt ſordes Romani,*

ut

ut quis ſtatim pro certa pecuniæ ſumma ipſo jure civitatem adquirere potuerit. Ab hac quoque confuſione non immunis eſt doctiſſimus CHRISTOPH. CELLARIUS *in Diſſertatione* de Civitate Paulli Apoſtoli: *in ipſo vero præcipuo hujus Diſſertationis argumento ille a me non diſſentit, niſi quod paullo aliter rem propoſuerim, ſimulque a dubiis, quæ a Cel.* ARNZENIO *propoſita ſunt, liberaverim. Ad.* §. 48. *hujus cap. velim addat Lector,* THEOPHILUM *in Inſt. lib. I. tit.* 5, §. 4. *errare, dum putat, ſervos minores triginta annorum, quomodo cunque manumiſſos, Latinos ſemper factos fuiſſe; qui error ex iſtis, quæ ibi dicta ſunt, facile poteſt refelli. Caput quartum eſt veluti miſcellaneum,* & varias *continet* obſervationes de civitate Romana: *quoad maximam vero partem in aliorum refutatione verſatur. Id tamen adhuc monere volo, partem ejus primam, uſque ad* §. 44. *jam ante fuiſſe compoſitam, quam Diſſertatio Viri Cel.* FRANC. CAROLI CONRADI de jure Quiritium *in lucem emiſſa fuerit. Aliam viam vir iſte doctiſſimus ingreſſus eſt: neque tamen meæ pœnitet ſententiæ; neque neceſſe eſſe putavi, ut propterea aliquid mutarem, aut adderem, ſed liberum potius lectoribus relinquo judicium. Dum hoc ſcribo, ex litteris amiciſſimis Viri Nobiliſſimi* GERARDI MEERMAN *perſpicio, nuperrime in Belgio*

hac de re ſententiam quoque ſuam dixiſſe CORNELIUM VALERIUM VONK *in* Obſervationibus miſcellaneis, *cap.* 24. *Sed quum illa non multum differat a ſententia Paulli Manutii, & falſa illa nitatur hypotheſi, ac ſi libertis civibus Romanis datum fuerit jus Quiritium: reſponſio jam ex iis ipſis, quæ in opere diſputavi, peti poteſt: Caput quintum hac vice non integrum prodit ob ſuam prolixitatem: ſed duas tantum ſectiones priores exhibeo; cæteras vero, in quibus ſpeciatim adhuc agendum eſt de* Præfecturis, Foris, Conciliabulis, Liberis & fœderatis civitatibus, *ad partem ſecundam reſervavi: id quod vel ideo monendum fuit, ne lector putet, plus promitti in rubro, quam in nigro, ut loqui amant, præſtatur. Cæterum ſi quis forte nonnulla in ordine, vel in ſtyli æqualitate deſideraverit; aut quem repetitiones quædam offenderint: is, quæſo, cogitet, in opere hujuſmodi miſcellaneo, quod pro farragine quodammodo variarum Obſervationum haberi poteſt, quodque diverſis elaboratum eſt temporibus, hujus generis offendicula non tam facile evitari, quam in ſyſtematibus, vel compendiis, aut unius argumenti tractationibus. Vitia vero typographica non mihi, ſed correctori imputari debent. Ea igitur ſpes me tenet firmiſſima, fore, ut æquus rerum æſtimator opus hoc æqui bonique conſulat, meque, ſtudiaque*

mea,

mea, ſibi habeat commendatiſſima. Ita vale, LECTOR BENEVOLE, *& partem ſecundam brevi tempore exſpecta. Scribebam Hamburgi, Prid. Non. Septembr. Anno* MDCCXLIV.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

PARTIS PRIMÆ.

CAPUT I. CIVITAS, URBS, OPPIDUM, CASTRUM, VICUS, PAGUS, QUID SIGNIFICENT APUD VETERES, ET QUOMODO DIFFERANT.

CAPUT II. DE POMOERIO.

CAPUT III. DE MODIS ADQUIRENDI CIVITATEM ROMANAM.

CAPUT IV. DE JURE CIVITATIS ROMANÆ, ATQUE QUIRITIUM, NEC NON DE JURE LATII ATQUE ITALIÆ IN GENERE OBSERVATIONES SINGULARES.

CAPUT V. DE COLONIIS, MUNICIPIIS, PRÆFECTURIS, FORIS, CONCILIABULIS, NEC NON DE OPPIDIS LIBERIS AC FOEDERATIS.

SECTIO I. DE COLONIIS IN SPECIE.

SECTIO II. DE MUNICIPIIS IN SPECIE, NEC NON DE JURE AC DIFFERENTIA MUNICIPIORUM, COLONIARUM, PRÆFECTURARUM, ET CIVITATUM LIBERARUM.

SE-

Digitized by Google

ALBERTI DIETERICI TREKELL,

JURISCONSULTI.

SELECTARUM ANTIQUITATUM

PARS PRIMA.

****

CAPUT I.

CIVITAS URBS OPPIDUM CASTRUM VICUS PAGUS QUID SIGNIFICENT APUD VETERES ET QUOMODO DIFFERANT.

ARGUMENTUM.

§. 1. *Introitus.* 2. *Loca veterum de civitate, urbe, oppido.* 3. 4. *Ex quibus differentia harum vocum eruitur.* 5 6. *De differentia inter urbem & oppidum, ubi obiter de ritu urbium condendarum & evertendarum.* 7. *Loca veterum de caſtro, vico, pago.* 8. *In ſpecie agitur de caſtro.* 9. *De vico.* 10. *Ubi dubia removentur.* 11. *De pago.* 12. *Locus Ciceronis emendatur.*

QUI ſtudium Antiquitatis recte atque ordine tractare cupiunt, iis ante omnia curæ cordique eſſe debet, ut verborum proprietates ſedulo inveſtigent: qua in re ipſi veteres præiverunt quorum veſtigia merito ſequi oportet. Ego quidem in præſenti ca- 1.

pite loca veterum exhibebo, in quibus explicantur voces: CIVITAS, URBS, OPPIDUM, CASTRUM, VICUS, PAGUS, harumque vocum, differentiæ traduntur: quippe quæ tractatio doctrinæ de jure
2. civitatis Romanæ merito eſt præmittenda. CIVITATIS vocabulum eſſe πολύσημον ſatis indicat GELLIUS *Noct. Att. lib.* XVIII. *cap.* 7. Ubi ex *Verrio Flacco* tradit, Civitatem dici & pro loco, & pro oppido, & pro jure, & pro hominum multitudine. Ergo ante omnia inveſtigabimus, quid civitas proprie & primario ſignificet apud veteres, & quomodo ab urbe, vel oppido differat. *Eſt autem civitas collecta hominum multitudo ad jure vivendum*, definiente M. FABIO VICTORINO in *Comment.* ad *Cicer de Invent. lib.* I. *cap.* 1. *Concilia cœtuſque hominum, jure ſociati, civitates appellantur*, judice CICERONE in *Somn. Scip. cap.* 3. Ex eodem Cicerone elegans nobis fragmentum conſervavit NONIUS MARCELLUS *lib.* V. *n.* 28. quod deſumtum ex *lib.* I. *de Republ.* ubi ita loquitur: *Quam* (ſcilicet civitatem) *quum locis manuque ſæpiſſent, ejusmodi conjunctionem tectorum oppidum vel urbem appellarunt, delubris diſtinctam, ſpatiiſque communibus. Omnis ergo populus, qui eſt talis cœtus multitudinis*, (intellige cœtum juris conſenſu & utilitatis communione ſociatum, juxta *Auguſtinum* de *Civ. Dei. lib.* II. *cap.* 21. & *lib.* XV. *cap.* 8.) *qualem expoſui, civitas eſt: omnis civitas, quæ eſt conſtitutio populi, reſpublica.* Idem diſertiſſimus auctor in *Orat. pro Sextio, cap.* 42. *Tum*, ait, *res ad communem utilitatem, quas publicas appellamus, tum conventicula hominum, quæ poſtea civitates nominatæ ſunt, tum domicilio conjuncta, quas urbes dicimus, invento & divino, & humano jure, mœnibus ſepſerunt.*

Bre-

Breviter Nonius Marcellus *lib.* V. *n.* 28. definit: *Inter urbem & civitatem hoc intereſt, urbs eſt ædificia; civitas incolæ.* Ita quoque Servius loquitur, dum *Æneid.* II. *v.* 265. explicat verba: *invadunt urbem*] *i. e. cives: quum urbs muros ſignificet; civitas vero ejus habitatores.* Sic Themiſtocles apud Justinum *lib. II. cap.* 12. docet, *civitatem non in ædificiis, ſed in civibus poſitam eſſe.* (Conf. Interpretes *h. l.* & *Chriſtoph. Ad Ruperti Obſervat. ad Florum, p.* 51.) Latius hæc explicavit Isidorus in libro *Differentiarum*, ſive *de proprietate ſermonum, lib* V. *Inter* Urbem *&* Civitatem *ita diſtinguit* Cicero, *ut* Urbem *mœnia civitatis ſignificent;* Civitas *incolas urbis: nam ad Dolabellam ſic ſcripſit*: (*lib.* IX. *ad Famil. Ep.* 14.) Liberaſti urbem a periculo; civitatem a metu. Urbem *autem ab urbo, quem aratrum vel ſulcum veteres dicebant aut ab orbe dictam putant, cujus in ſe imaginem reſpublica contineret. Porro oppidum ad habitantes pertinet, civitas ad leges, urbs ad utrumque.* Idem *Origg. lib.* XV. *cap.* 2. *Civitas*, ait, *eſt hominum multitudo ſocietatis vinculo adunata, dicta a civibus, id eſt ab ipſis incolis urbis, pro eo, quod plurimorum conſciſcat & contineat vitas, Nam* Urbs *ipſa mœnia ſunt;* Civitas *autem non ſaxa, ſed habitatores vocantur.* Urbs *vocata ab orbe, quod antiquæ civitates in orbe fiebant: vel ab urbo, parte aratri, quo muri deſignabantur: unde & illud:* Aptavitque locum regno, [Eſt ex *Æneid.* III. *v.* 109. deſumtum] & concludere ſulco. [Ex *Æneid.* I. *v.* 429.] *Locus enim futuræ civitatis ſulco deſignabatur, id eſt aratro.* Cato, qui urbem, *inquit*, novam condit, tauro & vacca aret, ubi araverit, murum faciat, ubi portam vult eſſe, aratrum ſuſtollat, & portet, & portam vocet.

Ideo autem urbs aratro circumdabatur, diſpari ſexa jumentorum, propter commixtionem familiarum, & imaginem ferentis fructumque reddentis. Urbs autem aratro conditur, aratro vertitur. Unde HORATIUS: (*Carm. lib.* I. *Od.* 16. *v.* 20.) Imprimeretque muris hoſtile aratrum. OPPIDUM (pergit Iſidorus) *quidam ab oppoſitione murorum dixerunt, alii ab opibus recondendis, eo quod ſit munitum: alii quod ſit in eo conventus habitantium, & opem det mutuam contra hoſtes. Nam primum homines tanquam nudi & inermes nec contra belluas præſidium habebant, nec receptacula frigoris & caloris, nec ipſi inter ſe homines ſatis erant tuti. Tandem naturali ſolertia ſpeluncis ſylveſtribusque tegumentis tuguria ſibi & caſas virgultis arundinibuſque contexuerunt, quo eſſet vita tutior, nec iis, qui nocere poſſent aditus eſſet. Hæc eſt origo oppidorum, quæ quod opem darent, idcirco oppida nominata dixerunt. Oppidum autem magnitudine & mœnibus diſcrepat a vico, & caſtello, & pago.*

3. Ex hiſce igitur locis id ſaltem delucide ſatis apparet, (cætera enim, quæ in iis, vel recte, vel perperam, traduntur, nunc non attingo) minus proprie locum mœnibus circumſeptum CIVITATEM appellari: ſed civitatem ſignificare potius ipſam hominum multitudinem, quæ ſub communi imperio vivit, communique jure utitur. Perinde vero eſt, utrum iſta ſocietas communibus mœnibus concluſa ſit, nec ne: nam & integræ reſpublicæ ac nationes, diſperſæ licet & diverſis locis habitantes, modo juris vinculo ſociatæ ſint, civitates appellantur. Ita eleganter CÆSAR *de Bello Gall. lib.* I. *cap.* 12. *Omnis*, ait, *civitas Helvetiorum in quatuor pagos diviſa eſt.* (Conf. *Chriſt. Ad. Ruperti Obſervat. ad Salluſtium*, *pag.* 222. & *Majoragii Quæſt. Epiſtol. lib.*

lib I. *n.* 2. in *Cl. Koblii Deliciis Epiſtol. pag.* 11. *ſeqq.*) Sic ergo poteſt eſſe Civitas ſine Urbe: & contra, poſſe etiam Urbem exiſtere ſine Civitate, eleganter docet Livius *lib.* XXVI. *cap.* 16. ubi ita loquitur: *Cæterum habitari tantum, tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec ſenatus, nec magiſtratus eſſe.* Hinc etiam civitas haud raro apud probatos ſcriptores ipſam reipublicæ formam, ipſas leges civiles, per quas homines in unum cœtum coaluerunt, ipſum denique jus civitatis ſignificat. Exempla, quia paſſim obvia ſunt, & vel ex lexicographis peti poſſunt, non adſcribo (Conf. *Bergier. de Viis militar.* lib. IV, *cap.* 7. §. 2. *ſeqq.*)

4. Negandum tamen non eſt, ſæpenumero, licet minus proprie & abuſive, Civitates dici ipſas urbes, vel oppida, primaria inprimis cujuſque regionis, non tantum ab aliis bonæ notæ ſcriptoribus, ſed & ab ipſis ICtis, qui alias verborum proprietatis ſolent eſſe ſtudioſiſſimi. Vide ex g. *L.* 6. §. 1. *D. de rer. diviſ. L.* 122. *D. de Legat.* 1. Ex aliis ſcriptoribus exempla attulit *Bartholomæus Barrientus in Annotationum Sylva cap.* 12. apud *Gruterum Lampade Crit. Tom.* III. *pag.* 423. Plura hac de re legi poſſunt apud *Bergier. l. c.* §. 5. & 8. & *Pancirollum* in *Notit. Dignit. Imp. Orient. cap.* 98. Neſcio tamen, num ſatis fundata ſit obſervatio Pancirolli, Urbes ſcilicet ſeculis ſequioribus vocari, quæ forum cauſarum & magiſtratus jus dicentes habebant; Civitates vero, in quibus præterea prætorium, gymnaſium, theatrum & balneum erant: quum potius hæc in omnibus alicujus momenti urbibus adfuiſſe videantur, adeo, ut *Pauſanias Phocenſ.* ſ. *lib.* X. *p.* 319. eam, quæ hiſce careret, ne urbis quidem nomi-

ne dignam cenſeret. Immo, ne verum quidem eſt ſemper, quod tradit laudatus Bergierius, præcipuas tantum cujuſque regionis urbes dictas eſſe Civitates. Contrarium enim ſatis apparet ex *L.* 6. §. 2. *D. de excuſ. tutor.* ubi inter maximas, majores & minores Civitates diſtinguitur. Sic etiam falſum eſt, quod quidam ſtatuerunt, civitates non dici, niſi ea oppida, quæ habent Epiſcopum. (Conf. *Martini Neurath Addit. ad Hippolyt. a Collibus de Increment. urb. c.* I. *p.* 18.)

5. URBIS' vero & OPPIDI Vocabulum promiſcue ab optimæ notæ ſcriptoribus adhibetur. (Vide *Auſonii Popmæ lib. de Different. Verb* III. *v oppidum: Bergier l. c.* §. 6. *Lucii Joh. Scoppæ Collect. lib.* I. *cap.* 28 *Aldi Manutii Quæſita per Epiſt.* III. *n.* 7. & Lexicographos) Quamvis enim negare nolo, Urbis appellationem digniorem quodammodo eſſe, quam oppidi: (unde etiam Roma, ut notum eſt, κατ᾽ ἐξοχὴν Urbs vocatur) nullam tamen ego inter urbes & oppida aliam ſolidam reperire potui differentiam, quam eam, quæ ex antiqua Etruſcorum diſciplina deſumta eſt. Veteres videlicet Etruſci non omnia loca munita Urbes vocabant, ſed ea tantum, quæ peculiari aliquo ritu, aratri ſcilicet circumductione, condita erant: cætera oppida tantum appellarunt. Id optime nobis docet VARRO de *lingua Lat. lib.* IV. *cap.* 32. *pag.* 34. *ſeq. Opp.* (*) *Oppida*, ait, *con-*

(*) Locus hic varie legitur: ego eam repræſento lectionem, quæ in editione Operum *Amſtel* A. 1623. in Octavo exhibetur. Varii eruditi illum tentarunt, Præcipue *Hieron. Magius Miſcell lib* III. *cap.* 13. cujus conjecturæ legi merentur. Doleo tamen, virum huuc, alias ſane haud indoctum, nugis Annianis nimium tribuiſſe.

condebant in latio Etruſco ritu multa, id eſt junctis bobus, tauro & vacca interiore, aratro circumagebant ſulcum. Hoc faciebant religionis cauſa, die auſpicato, ut foſſa & muro eſſent munita. Terram unde exculpſerunt, foſſam vocabant, & introrſum factum [*jactum* legere mavult *Rubenius Elect.* I. *cap.* 1. Forſan & *actum* legi poteſt.] *murum. Poſtea, quod fiebat orbis, Urbs. Principium quod erat poſt murum, Pomœrium dictum, ejuſque ambitu auſpicia urbana finiuntur. Cippi pomœrii ſtant & circum Andolam, Ardeam, & circum Romam. Quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe, & urbo, urbes: & ideo coloniæ Noſtræ omnes in litteris antiquis ſcribuntur Urbes, quod item conditæ, ut Roma & ideo coloniæ ut urbes conduntur, quod intra pomœrium ponuntur.* Qui plura de hoc ritu ſcire cupit, is legat ex veteribus Plutarchum in *Vita Romuli*, *pag.* 23. & in *Quæſt. Rom. num.* 27. Dionysium Halicarn. *lib.* I *pag.* 75, Servium ad *Virgilii Æneid. lib.* I. *v.* 16. & *v.* 426. *lib.* IV. *v.* 212. & *lib.* V. *v.* 755. Ovidium *Faſtor. lib.* IV. *v.* 817. *ſeqq.* Isidorum locis ſupra adſcriptis: Festum *voc. primigenius ſulcus*, & denique L. 239. §. 6. D. de V. S. Ex recentioribus *Lucii Job. Scoppæ lib.* I. *Collectaneor. cap.* 28. apud *Grut. Fac. Crit. Tom.* I. *pag.* 930. *ſeqq. Philippi Rubenii Elect. lib.* I. *cap.* 1. *Marci Velſeri Rerum Auguſto-Vindelic. lib.* V. initio. *Raph. Fabretti Syntagma de Columna Trajana*, *cap.* 6. *p.* 152. ſeq. (qui id imprimis annotat, aratri circumductionem a dextra ad lævam factam fuiſſe) *Bened. Averanii Diſſ.* XXIII. ad *Livium*, *pag.* 66. *ſeqq. Tom.* II. *Opp.* (ubi & de Pomœrio agit) *Blanchardi Diſſertationem hac de re Gallice ſcriptam*, in *l'Hiſtoire de l'Academie des Inſcriptions & des belles*

lettres, *Tom.* II. *pag.* 85. *ſeqq.* & inprimis *Chriſt. Lud. Crellii V. Cl. Diſſertationem de publica ceremonia, qua urbes condebantur*, *Witteb.* 1731. Simpliciſſima hujus ritus ratio mihi eſſe videtur, quod primæ urbes agriculturæ cauſa conditæ ſint: id quod mihi vel exinde veroſimile ſit, quod primus agricola, Cain ſcilicet, etiam primus urbis conditor fuerit (*Geneſ.* IV. *v.* 2 & 17.) Hinc forſan primario ex traditione illa hicce ritus manavit. Negare tamen nolo, deinceps, invaleſcente ſuperſtitione, multos quoque ſuperſtitioſos ritus, eorumque rationes, acceſſiſſe. Sic non male rationem hujus ritus in eo quærit *V. Ampliſſ. Everb. Otto* in *Tract. de Aedil. Colon. & Municip. cap.* I. § 1. *pag.* 4. quod Ceres, agriculturæ Dea, urbibus etiam condendis præfuerit apud Etruſcos, & quod boves Symbolum fertilitatis haberentur. Quæ tamen ratio, ſi verum dicere volumus, a Noſtra non eſt diverſa, ſed cum ea potius conjungenda. Sine dubio enim veteres Cererem, agriculturæ Deam, ideo urbibus quoque condendis præfecerunt, quia primæ urbes agriculturæ cauſa conditæ fuerunt: id quod jam obſervavit *Wilb. Goeſius* in *Antiq. Agrar.* (quæ *Scriptt. rei agrariæ* præmiſſæ ſunt) *cap.* I. qui etiam addit, ob eandem cauſam urbem cum agris ſuis ſine territorio ſuo, ſemper pro uno corpore fuiſſe habitam. Plures conjecturas de ratione hujus ritus afferunt *Blanchardus* in *Diſſ.* laudata, & *Andr. Cirino* in libro *de Urbe Roma & Rege Romulo*, (qui reperitur *Tom* II. *Theſ. Antiqq. Rom. Sallengrii*) *cap.* I. Adhiberi & alia quædam boni ominis cauſa in urbibus condendis, indicat FESTUS *voc. quadrata*: quæ an illuſtrari poſſint ex iis, quæ PLUTARCHUS in *Vita Romuli*, *pag.* 23. de primis urbis

urbis Romæ fundamentis narrat, videant alii. Sic & quædam boni ominis cauſa in terminorum erectionibus adhiberi, diſci poteſt ex SICULO FLACCO *de Conditionibus agror. pag. 5. ſeq. ed. Goeſii:* & in fundamentis templorum ponendis, ſicuti ſatis indicat TACITUS *Hiſtor. lib.* IV. *cap.* 53.

Quemadmodum vero nihil tam naturale eſt, 6.
quam quidque eodem modo diſſolvi, quo fuit colligatum: (juxta notiſſimam ICtorum regulam) ita etiam ex veteri Etruſcorum diſciplina obſervarunt Romani, ut Urbes, quia per aratri circumſcriptionem condebantur, etiam per aratri inductionem deſtruerentur. Docet hoc perſpicue ISIDORUS loco ſupra adſcripto, qui teſtimonii cauſa attulit quoque locum HORATII notiſſimum *Carm. lib.* I. *Od.* 16. *v.* 20. ad quem ACRON ita commentatur: *Condendis atque evertendis civitatibus hæc conſuetudo fuit, ut aratro fierent ut de condenda* VIRGILIUS: (*Æneid. lib.* V. *v.* 755.) Interea Æneas urbem deſignat aratro. *Item de evertenda* CICERO *in Philippicis*: (*Orat.* II *cap.* 40.) Ut vexillum tolleret, & aratrum circumduceret. (Quem tamen locum falſo vetus ille interpres HORATII ad everſionem trahit, quum potius de colonia condenda agat: ut jam notavit *Rubenius* loco ſupra laudato, qui tamen hoc potius ſcholiaſtæ veteri, quam Rhodigino exprobrare debuiſſet.) Pertinet huc precipue SENECA *de Clementia*, *lib.* I. *cap. ult.* *Aratrum vetuſtis urbibus inducere potentiam putat.* Exinde quoque lucem accepit *L.* 21 *D. quibus modis uſusfr amitt.* Fiebat vero hoc tuba præcinente, ut tradunt FLORUS *lib.* II. *cap.* 16. §. 5. (ubi legenda *Freinſhemii* nota, *pag.* 432. ed. *Dukeri*) & SERVIUS ad *Æneid. lib.* II. *v.* 313. Neque improbabile eſt,

hunc quoque ritum in urbibus condendis obſervatum fuiſſe, licet diſerto aliquo teſtimonio deſtituamur. Plura de re nota non addo: legi poſſunt, præter interpretes ad dictam legem, *Petri Fabri Semeſtria*, *lib. I. cap.* 8. *Jac. Rævardi Conject. lib.* II. *cap.* 7. *Lud. Cælii Rhodigini Lection. antiq. lib.* XXVI. *cap.* 5. *Scoppæ Collectanea* & *Rubenii Electa*, locis ſupra jam indicatis.

7. Nunc etiam videbimus, quid CASTRUM, VICUS, PAGUS apud veteres ſignificaverit. De hisce omnibus ita loquitur ISIDORUS *Origg. lib.* XV. *cap.* 2. VICI *&* CASTELLA *&* PAGI *ii ſunt, qui nulla dignitate civitatis ornantur, ſed vulgari hominum conventu incoluntur, & propter parvitatem ſui majoribus civitatibus attribuuntur.* VICUS *dictus eſt a vicinis habitationis, vel quod vias habeant ſine muris.* CASTRUM *antiqui dicebant oppidum loco altiſſimo ſitum, quaſi caſam altam, a quo Caſtellum, ſive quod caſtrabatur ibi licentia habitantium, ne paſſim vagarentur.* PAGI *apta ſunt ædificiis loca, inter agros habitantibus. Hæc & Conciliabula dicta, a conventu & ſocietate multorum in unum.* Jam de

8. ſingulis eſt dicendum paullo accuratius. CASTRUM, cujus diminutivum CASTELLUM, cum urbe & oppido in eo convenit, quod perinde munitum ſit. Differt vero (1) ratione magnitudinis: nam urbes & oppida caſtris majora ſunt. (2) Ratione dignitatis: major enim dignitas urbibus & oppidis, quam Caſtris ineſt. (3) Ratione finis: urbes enim & oppida primario habitationis cauſa; caſtra vero primario præſidii cauſa condita ſunt. (Conf. *Aldi Manutii Quæſita per Epiſt. lib.* III.

9. *n.* 7.) VICOS ita deſcribit FESTUS *voc. vici*, ex virorum Doctorum emendationibus: *Vici appellari incipiunt ex agris, qui ibi villas habent, ut Marſi,*

aut

aut Peligni. Sed ex vicis partim habent rempublicam, & jus dicitur; partim nihil eorum, & tamen ibi nundinæ aguntur, negotii gerendi cauſa, & magiſtri vici, item magiſtri paci (antique pro *pagi*) *quotannis fiunt. Altero, quum id genus ædificiorum definitur, quæ continentia ſunt his oppidis, quæ itineribus regionibuſque diſtributa inter ſe diſtant, nominibuſque diſſimilibus diſcriminis cauſa ſunt diſpartita. Tertio, quum id genus ædificiorum definitur, quæ in oppido privo, id eſt in ſuo quiſque loco proprie ita ædificat, ut in eo ædificio pervium ſit, quo itinere habitatores ad ſuam quiſque habitationem habeat acceſſum, qui non dicuntur vicani, ſicut ii, qui aut in oppidi vicis, aut hi, qui in agris ſunt, vicani appellantur.* Ad quem locum recte intelligendum notandum eſt, vicos ſemper conſtare ex pluribus ædificiis, ſive ſerie quadam ædificiorum. Quemadmodum vero ædificia vel ruſtica ſunt, vel urbana, ita & vici ſunt vel extra urbem, vel intra urbem. Extra urbem vici conſtant ex pluribus villis & caſis conjunctis, & ſunt ratione dignitatis duplicis generis: in aliis enim jus dicitur, quos rempublicam habere dicit Feſtus, licet improprie: in aliis nundinæ tantum habentur. Infra urbem vici conſtant ex pluribus ædificiis urbanis, ſive domibus, aut inſulis: ſed & hi rurſus duplicis generis ſunt, vel urbani, vel domeſtici. Vici urbani conſtant ex pluribus domibus, vel inſulis diverſis, quibus via publica interjacet. Vici domeſtici conſtant ex pluribus habitationibus, quæ ad unam domum, vel inſulam pertinent, & quibus via tantum privata interjacet. Hisce quidem notatis, haud difficulter intelligi poſſe puto locum hunc obſcurum Feſti. Sed 10.
ſunt tamen dubia adhuc quædam in hiſce verbis.

Et

Et primo quidem, quando Feſtus dicit, vicos quoſdam habere rempublicam, & in iis jus dici; in aliis vero nundinas tantum celebrari, id intelligi vix poſſe puto de ſingularibus & proprie ſic dictis vicis, ſed potius de conjunctis, ſive pagis, quod vel exinde colligo, quod mox magiſtrorum pagi mentionem faciat. Deinde neſcio quoque num verum ſit, magiſtros vici in vicis quoque ruſticis fuiſſe: ego ſane hactenus magiſtros tantum vicorum in ipſa Roma reperire potui. Denique non accedo Feſti ſententiæ, vicanos dictos eſſe incolas unius vici, tam intra, quam extra urbem: ſed potius exiſtimo, vicanos non niſi incolas unius vici ruſtici vocatos fuiſſe: incolas vero, ſive inquilinos, unius vici tam urbani, quam domeſtici, non niſi vicinos dictos

11. fuiſſe. Hæc de Vicis. Nunc etiam pauca de PAGIS dicenda ſunt. Sæpenumero quidem Vici & Pagi confundi ſolent a ſcriptoribus: proprie tamen pagus ita ex pluribus vicis ruſticis conſtat, quemadmodum vicus ruſticus ex pluribus caſis & villis. (Vide præter lexicographos *Aldi Manutii Quæſita per Epiſt. lib.* III. *n.* 7.) Regiones circa Romam in pagos primum diſtribuit Rex Numa, teſtibus DIONYSIO HALIC. *lib.* II. *pag.* 135. & PLUTARCHO in ejus vita, *pag.* 71. & deinde etiam Servius Tullius, ut narrat DIONYSIUS HAL. *lib.* IV. *pag.* 220. qui etiam cuique pago proprium ſuum Magiſtratum præpoſuerunt, qui Magiſtri pagorum, Præfecti pagorum, Præpoſiti pagorum vocabantur, de quibus vide SICULUM FLACCUM *de Condit. agror. pag*, 9. & 25. *ed. Goeſii*, ibique *Goeſii* & *Rigaltii* notas, *pag.* 141. & 232. Confer. etiam *Briſſonii* Opus de *V. S. vocc. pagi* & *præfectus pagi*: *Jacobi Gothofredi* Comm.

Comm. ad *L.* 1. *C. Theod. de erogat. mil.* (*lib.* VII. *tit.* 3.) Quemadmodum etiam Vici, tam intra, quam extra urbem, (ſi Feſto fides conſtat) proprios ſuos Magiſtros, qui Vicomagiſtri dicebantur, habuerunt. De magiſtris vicorum intra urbem Romam ſaltem res nota eſt, & de iis evolvi poſſunt LIVIUS *lib.* XXXIV. *cap.* 7. ASCONIUS PED. in *Orat Cic. contra Piſon. pag.* 159. DIO CASSIUS *lib.* LV. *pag.* 554. SUETONIUS in *Aug. cap.* 30. & in *Tib. cap.* 76. & in *Claud. cap.* 13. MARTIALIS *lib.* X. *Epigr.* 79. P. VICTOR *de regionibus urbis.* PAGI dicti ſunt vel a locis munitis, ad quæ ſub hoſtium adventum confugiunt agreſtes: (uti tradit DIONYSIUS HAL. *lib.* IV. pag. 220.) vel potius ἀπὸ τῶν παγῶν (Dorice pro πηγῶν id eſt a fontibus, quia agricolæ in plano juxta fontes villas & caſas ſuas ædificare ſolebant. (vid. FESTUS *h. v.* & SERVIUS ad *Virg. Georg. lib.* II. *v.* 382.) Hinc etiam pagani a montanis diſtingui ſolent. Quo libenter etiam referrem locum CI- 12.
CERONIS *pro domo*, *cap.* 28. niſi ſeries verborum prohiberet. Videtur enim Cicero ibi paganos & montanos tanquam partes plebis urbanæ conſiderare, quod quidem de montanis facile poſſet concedi, quoniam, ut notum eſt, Roma in montibus erat ædificata. Fateor tamen, me nuſquam legiſſe, eos, qui Romæ in montibus habitabant, ſpeciatim montanos dictos fuiſſe. Sed ubi paganos in ipſa urbe inveniemus? *Manutius* in *notis* ad *h. l.* putat, eos, qui pagos extra urbem habitabant, poſſe ad plebem urbanam referri, quia in urbanis tribubus cenſebantur. Sed nuſquam legi, eos, qui extra urbem habitabant, ad plebem urbanam relatos fuiſſe, & falſum eſt, eos in tribubus urbanis fuiſſe cenſitos, quum potius in tri-

tribubus ruſticis, ſi modo ingenui eſſent, cenſerentur, adeoque ad plebem ruſticam referrentur. Magnus ille *Grævius* valde fluctuat, & tandem amplius deliberandum eſſe cenſet. Si mihi poſt tantos viros ſententiam dicere permiſſum eſt, ego exiſtimo, loco huic obſcuro per verborum tranſpoſitionem opem eſſe ferendam, ut ita legatur : *Nullum eſt in hac urbe collegium*, (*quoniam plebis quoque urbanæ majores noſtri conventicula*, & *quaſi conſilia quædam eſſe voluerunt*) *nulli pagani*, *aut montani*, *qui non ampliſſime*, *non modo de ſalute mea*, *ſed etiam de dignitate decreverint*. Si enim hoc modo locus legitur, nihil prohibet, quo minus paganos & montanos accipiamus de plebe ruſtica, in agro Romano extra urbem, vel in montibus habitante. Sed hæc aliis dijudicanda relinquo. Id interim certum eſſe videtur, pagos quoque proprios ſuos habuiſſe conventus, in quibus quæ conſtituebantur, *pagiſcita*, vel *leges paganæ* vocabantur. (vid. PLINIUS *Hiſt. Nat. lib.* XXVIII. *cap.* 2. *Gruteri Opus Inſcript. pag.* 21. *n.* 11.) de quibus erudite egit *Alexius Symmachus Mazochius* in *Commentario ad mutilum Campani amphitheatri titulum*, apud *Polenum Suppl. utriuſque Theſ. Antiqq. Tom.* V. *pag.* 562. ſeq. qui ibidem quoque annotat, quemlibet pagum peculiaria ſua habuiſſe ſacra, ſuumque Deum tutelarem: item in pagis quoque ludos fuiſſe celebratos, & in iis theatra etiam fuiſſe conſtituta. Quæ omnia ibi legi poſſunt ab harum rerum curioſis.

CA-

CAPUT II.

De Pomoerio.

ARGUMENTUM.

§. 1. *Pomœrium quid ſit.* 2. *Quæſtio hic tractanda.* 3. *Argumentum Dacerii generale rejicitur.* 4. *Speciale primum refutatur, ubi de agro effato & auſpiciis agitur.* 5. *Dubium ex verbis Catonis removetur.* 6. *Dubium ex Tacito removetur, ubi docetur, lapides terminales pomœrii fuiſſe extra urbem.* 7. *Dubium de prolatione pomœrii removetur: ubi docetur, quomodo pomœrium prolatum fuerit, non ampliatis muris, & contra.* 8. *Dubium ex Gellio removetur.* 9. *Argumentum ultimum, ab ipſa voce deſumtum, refutatur.* 10. *Auctoris ſententia exponitur, & locis veterum probatur: ubi obiter quædam de Aggeno Urbico notantur.* 11. *Dubia ex locis veterum male intellectis removentur: ubi loca Pollucis & Plutarchi explicantur.*

Quæ priori capite de ritu veterum Etruſcorum in urbibus condendis obſervato diximus, admonent nos, ut etiam quædam de Pomoerio annotemus. Sanctitas nimirum illa, quam veteres muris adſcribebant, requirere videbatur, ut certum aliquod ſpatium circa illos vacuum & purum relinqueretur: id quod Pomoerium dixerunt, quaſi *poſtmœrium*, quia *mœri* pro *muris* apud antiquos dicebantur. Hæc ex veterum monumentis certa ſunt, neque prolixior ero in locis inte- 1.

integris adſcribendis, ſed ea tantum, quæ mihi cognita ſunt, in tyronum gratiam indicabo. Evolvi nimirum poſſunt: Festus *voc. proſimurium*: Gellius *Noct. Att. lib.* XIII. *cap.* 14. Varro *de Lingua Lat. lib* IV. *cap* 32 *pag.* 34. ſeq. (quem locum capite antecedente integrum exhibui) Livius *lib.* I. *cap.* 44. Plutarchus in *Vita Romuli*, *pag.* 23. Seneca *de Brevit. vitæ*, *cap.* 14. Aggenus Urbicus *Comment. ad Frontin. de Controv. agror. pag* 57 *ſeq.* Dionysius Halic. *lib. IV. pag.* 218. *ſeq.* Tacitus *Annal. lib.* XII. *cap.* 23. *ſeq.* Dio Cassius *lib.* LV. *pag.* 552. Flavius Vopiscus, *in vita Aureliani Imp. cap.* 21.

2. Ex hiſce veterum locis, ut & ex variis recentiorum ſcriptis, iis præſertim, quæ ipſius urbis Romæ deſcriptionem exhibuerunt, [quibus adde, præter Interpretes ad loca veterum laudata, *Alexandr. ab Alexandro Dier. Genial. lib* IV. *cap.* 16. & *lib.* VI. *cap.* 14. *Hieron. Magium Miſcellan. lib.* III. *cap.* 13.] abunde hujus quidem rei notitia peti poteſt: ſed unica tamen quæſtio, eaque primaria, reſtat, quæ uberiorem adhuc tractationem mereri videtur. Quæritur nimirum inter eruditos, Pomœrium intrane, an extra urbis mœnia, an vero utrobique fuerit. Omnes eruditi quorum quidem ſcripta ego inſpexi, Pomœrium vel extra urbem tantum, vel intra & extra urbem ſimul ponunt, exceptis duobis, Gallo altero, altero Italo. *Andreas* nimirum *Dacerius* in notis ſuis eruditis ad Festum *voc. proſimurium*, &, qui Dacerium ſequitur, *Julius Minutolus in Diſſert* III. *Antiqq. Rom.* apud *Sallengrium* in *Novo Theſ. Antiqq. Rom. Tom.* I. *pag.* 45. Pomœrium intra urbem tantum fuiſſe contendunt: hinc operæ pretium erit, ut argumenta Dacerii (nam

(nam Minutolus nulla nova protulit) paullo accuratius perluſtremus & deinde noſtram ſententiam addamus. In genere quidem ille ad auctoritatem veterum provocat: unicum tamen Livium ſibi adverſari fatetur, quem ideo rejicit. Sed deinceps oſtendam, Livii auctoritatem non eſſe rejiciendam: cætera autem veterum loca vel plane non probare Dacerii ſententiam, vel aperte ejus ſententiæ contraria eſſe, vel denique dubiæ ſaltem eſſe interpretationis. Jam ſpecialia quoque ejus argumenta examinabimus. 1) Primum quidem argumentum exinde deſumit Dacerius, quod pomœrium intra agrum effatum fuiſſe ex augurum libris conſtet: jam vero agrum effatum intra mœnia fuiſſe; & hinc pomœrium quoque intra mœnia quærendum eſſe exiſtimat. Dicit: ſed non probat: ego vero probabo, agrum effatum extra mœnia fuiſſe. Non enim id tantum ipſum agri vocabulum indicat, quod de locis intra mœnia non ſolet uſurpari: (loca enim ædificiis vacua intra urbem *areæ*; extra urbem *agri* vocantur) ſed & ſatis clare hoc docet Varro *de lingua Lat. lib.* V. *cap.* 7. *pag.* 57. *Opp.* his verbis: *Hinc effata dicuntur, quod augures finem auſpiciorum cœleſtium extra urbem agris ſunt effati.* Item Servius ad *Virgilii Æneid. lib.* VI. *v.* 197. *Proprie*, ait, *effata ſunt augurum preces: unde ager poſt pomœria vocabatur effatus, ubi captabantur auguria.* Nimirum alia auguria intra pomœrium captabantur, eaque vocabantur *urbana*: non, quod pomœrium intra urbis mœnia ſitum fuerit, ſed quia pomœrium ad ipſam adhuc urbem referebatur. Alia vero auguria captabantur extra pomœrii fines, (quæ *extra urbana* commode appellari poſſunt) in agro tamen effato: nam ex-

tra agrum effatum nulla, niſi militaria quædam
auſpicia, capi debuiſſe puto. Fines ergo agri
effati latius adhuc, quam pomœrii patuerunt &
agrum effatum partem fuiſſe agri Romani,
juxta diviſionem Augurum apud Varronem *de
lingua Lat. lib.* IV. *cap.* 4. *pag.* 10. *Opp.* exi-
ſtimo. Si igitur pomœrium intra mœnia fuiſ-
ſet, non debuiſſent illud definire augures, quod
ſit locus intra agrum effatum. Quum vero hæc
definitio vera ſit, & jam conſtet, agrum effa-
tum extra mœnia fuiſſe: ſequitur pomœrium
5. quoque fuiſſe extra urbis mœnia. Corruit er-
go primum Dacerii argumentum. 2) Quod dein-
de ad verba Catonis apud *Feſtum*, in quibus
Dacerius quoque præſidium quærit, attinet, ego
de iis id tantum dico, ex paucis iſtis verbis, ex-
tra connexionem a Feſto prolatis, iiſque mutilis,
& ab eruditis ex ingenio tantum ſuppletis, nul-
lum certum elici poſſe ſenſum: in iis tamen nihil
reperiri, quod eorum ſententiæ adverſetur, qui
6. pomœrium extra mœnia quærunt. 3) Neque
etiam video, quid Dacerium juvare poſſint verba
Taciti *Annal. lib.* XII. *cap.* 24. *Inde certis ſpa-
tiis interjecti lapides*, &c. Terminos ſane pomœ-
ri lapidibus indicatos fuiſſe, certum eſt: ſed id
tantum quæritur, utrum iſti lapides, pomœrii
terminos deſignantes, qui etiam *Cippi* vocaban-
tur, intra, an extra mœnia poſiti fuerint? Ex-
tra mœnia illos fuiſſe, indicant verba Varronis
de lingua Lat. lib. IV. *cap.* 32. *pag.* 35. *Opp.
Cippi pomœrii ſtant & circum Andolam, Ardeam,
& circum Romam.* (Conf. *Philippi Rubenii Ele-
7. cta, lib.* I. *cap.* 1.) 4) Majorem primo intui-
tu probabilitatem habere videtur, quod ſequitur,
argumentum, muros ſcilicet ampliari potuiſſe,
non

non ampliato pomœrio: id quod probat ex FLAVIO VOPISCO in *Vita Aurel. cap.* 21. *Muros urbis Romæ dilatavit: nec tamen pomœrio addidit, ſed poſtea.* Non in dubium voco auctoris hujus fidem, quia LIVIUS *lib.* I. *cap.* 45. contrarium docet his verbis: *Et in urbis incremento ſemper quantum mœnia proceſſura erant, tantum termini hi conſecrati proferebantur.* Nam forte ad Livii uſque tempora nullum tale exemplum exſtitit, quale poſtea ſub Aureliano factum: aut dicendum quoque eſt, Romanos hac in parte Etruſcorum diſciplinam non adeo accurate obſervaſſe. Quicquid vero hujus ſit, ego id tantum dico, locum Voſpiſci, ſi accuratius inſpiciatur, Dacerii ſententiæ magis, quam alteri, contrarium eſſe. Nimirum ſi pomœrium intra mœnia fuiſſet, dilatatis mœnibus, ipſo quoque hoc facto pomœrii ſpatium ſemper fuiſſet prolatum. Sin vero extra mœnia, ut plurimi putant, pomœrium fuerit, tunc ſpatium quidem illud, quod ad pomœrium pertinebat, muris prolatis, anguſtius paullo factum eſt, non tamen neceſſe fuit, ut pomœrii termini ſimul proferrentur, ſed hoc alio tempore commode fieri potuit. Contra, adoptata Dacerii ſententia, omnino comprehendi nequit, quomodo pomœrium proferri potuerit, ut non ſimul mœnia quoque fuiſſent prolata: id quod tamen ab Aureliano Imperatore, ſecundum VOPISCI teſtimonium factum eſt. Niſi forte Dacerius talem ſibi pomœrii prolationem fingere mavult, quæ intra urbem facta fuerit. Sed ea ratione ipſa urbs per pomœrii prolationem anguſtior facta fuiſſet: quum tamen ſine dubio per eam ipſius urbis termini ampliora facta fuerint. Nam quia pomœrii prolatio & urbis, & reipublicæ ſimul incremen-

tum denotabat, hinc nemini pomœrii proferendi jus fuit, niſi illi, qui ipſos imperii terminos dilatavit. Sic ergo & hoc argumentum in au-
8. ctorem ipſum retorquere poſſumus. 5) Porro pro ſua ſententia adducit Dacerius verba *Lælii Felicis* apud GELLIUM *Noct. Attic. lib.* XV. *cap.* 27. *Centuriata autem comitia intra pomœrium fieri nefas eſſe, quia exercitum extra urbem imperari oporteat, intra urbem imperari jus non ſit*, &c. Sed facilis eſt reſponſio: repetere enim tantum debemus, quæ paullo ante diximus, nempe pomœrium, licet extra mœnia fuerit, pro ipſius tamen urbis parte fuiſſe habitum, adeo, ut id, quod intra urbem fieri nefas erat, ne intra po-
9. mœrium quidem fieri deberet. 6) Denique Dacerius ad ipſam vim vocis POMOERII provocat, ex quo ſcilicet illud poſt, non vero ante murum fuiſſe elucere exiſtimat. Sed pomœrium & vi vocis, & re ipſa, poſt murum fuiſſe, omnes fatentur: id modo in quæſtione adhuc eſt, utrum ratione eorum, qui intra urbem; an eorum, qui extra urbem ſunt, pomœrium poſt muros eſſe dicatur. Dacerius putat, pomœrium poſt muros fuiſſe ratione eorum, qui extra urbem ſunt: alii vero contendunt, pomœrium potius ratione eorum, qui intra urbem ſunt, poſt muros fuiſſe. Nihil ergo prohibet, quo minus pomœrium, pro diverſo iſto reſpectu, & ante, & poſt muros fuerit: quemadmodum exercitus, urbem obſidione cingens, (quod exemplum Dacerius ad diſſentientes confundendos adduxit) eadem quoque ratione & ante, & poſt muros ſedere dici poteſt. Romani vero, ratione ipſorum urbis incolarum, libentius pomœrium; quam, ratione exterorum, Antemœrium, ſpatium illud conſecratum vocare volue-

voluerunt. Unde elegantur Livius *lib.* I. *cap.* 54. *Hoc ſpatium*, ait, *quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis, quod poſt murum eſſet*, (ratione incolarum) *quam quod murum poſt id*, (ratione exterorum) *pomœrium Romani appellarunt.*

Quum ergo in Dacerii argumentis nihil ſolidi reperiatur, quæritur jam, quid tandem ſit ſtatuendum? Breviter meam declarabo ſententiam, ſalvo aliorum judicio. Statuo nimirum, pomœrium primario quidem denotare ſpatium illud extra murum, per totius urbis circuitum: (ut loquitur Gellius *Noct. Att. lib.* XIII. *cap.* 14) in quibuſdam tamen oppidis pomœrium & intra, & extra mœnia fuiſſe: immo & antiquis temporibus ipſam urbem Romam duplex habuiſſe pomœrium, poſtea vero exterius tantum, interiori ædificiis occupato, permanſiſſe. Hujus meæ ſententiæ vades dabo locupletiſſimos: unum quidem ſcriptorem ſatis antiquum & probatum, Livum nimirum, cujus Teſtimonium Dacerius ſine omni ratione rejicit, quum præſertim nihil contineat, quod cum aliis optimæ notæ ſcriptoribus pugnet, ut ex iis, quæ partim antea diximus, partim adhud dicentur, apparebit. Alterum vero ſcriptorem haud adeo quidem antiquum, cui tamen eo magis credendum eſt, quod de re ſuis temporibus adhuc uſitata, & ad propriam artem ſuam pertinente, teſtimonium præbeat: nimirum Aggenum Urbicum. [obiter moneo, hunc ſcriptorem vel tempore Conſtantini M. vel paullo poſt vixiſſe, & probabiliter fuiſſe chriſtianum, non quidem ob eam rationem, quam *Goeſius* in *notis*, *pag.* 147. adducit, quod Divino præſidio ſe tractationem ſuam ſuſcipere dixerit: id enim & ethnicum dicere potuiſſe bene monet etiam 10.

poſt fata venerandus noſter *Fabricius* in *Bibliotheca Latina*, *lib.* IV. *cap.* 11. *pag.* 852. Sed potius ob verba, quæ *pag.* 61. *ed. Goeſii* occurrunt: *In Italia autem multi, creſcente religione ſacratiſſima chriſtiana, lucos profanos, ſive templorum loca occupaverunt, & ferunt.* Hæc enim non temere gentilis ſcripſiſſet, immo ne chriſtianus quidem ante tempora Conſtantini M. Quia tamen varia ethniciſmi veſtigia in hoc libro occurrunt, credendum, auctorem primis poſt introductam publice religionem chriſtianam temporibus vixiſſe, quibus ſuperſtitio veteris religionis Romanæ nondum aboleri potuerit. Quædam tamen loca etiam ſenſu chriſtiano accipi poſſunt; notum enim eſt, chriſtianos varios ſtatim ritus ſuperſtitioſos ex veteri gentiliſmo adoptaſſe. Id tamen ſimul quoque monere volo, ea quæ apud *Goeſium pag.* 65. *ſeqq.* ſub titulo *Partis alteræ* exſtant, ab alio omnino auctore, & quidem antiquiore, & gentilium ſuperſtioni adhuc addicto, profecta videri: id quod præcipue colligo ex collatione loci *pag.* 74. cum loco paullo ante adducto: eadem enim fere ibi leges: aſt ſtylo tamen longe profaniori. Sed hæc obiter: pluribus enim hoc nuper probavi in *Bibliotheca Miſcellanea Hamburgenſi*, *tom* II. *Part.* IV.] Hic quidem AGGENUS URBICUS in *Commentario ad Frontinum de Controverſiis agrorum*, *pag.* 57. *ſeq. ed. Goeſii*, ita loquitur: *De jure territorii controverſia eſt, quum quidam privatorum aut pomœrium ejus urbis privatis operibus inverecunde vult pervadere, aut cum arare, & de locis publicis, hoc eſt ad ipſam urbem pertinentibus, quidam privatorum uſucapere tentaverit. Pomœrium autem urbis eſt, quod ante muros ſpatium ſub certa menſura dimiſſum eſt. Sed & aliquibus urbibus & intra muros*

ros ſimili modo eſt ſtatutum, propter cuſtodiam fundamentorum, quod a privatis operibus obtineri non oportebit. Cum hocce ſcriptore amice admodum conſentit Livius, qui *lib.* I. *cap* 44. ita loquitur: *Pomœrium verbi vim ſolam intuentes poſt mœrium interpretantur eſſe: eſt autem magis circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etuſci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato conſecrabant, ut neque interiore parte ædifici mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjungunt, & extrinſecus puri aliquid ab humano cultu pateret ſoli.* Hæc quidem teſtimonia poſſent ſufficere ad meam ſententiam probandam, quum omni exceptione ſint majora, & ob perſpicuitatem omnem excludant cavillationem: nihilominus tamen adhuc unum alterumve, uberioris illuſtrationis gratia, de exteriore pomœrio addere volo. Primo quidem Sidonius Apollinaris *lib.* I. *Epiſt.* 5. haud ſane obſcure pomœrium extra urbem deſignat his verbis: *Inter hæc patuit Roma adſpectui, ubi priuſquam vel pomœria contingerent, triumphalibus apoſtolorum limitibus affuſus eſt*, &c. Clarius adhuc pomœrium externum probat Lucani elegantiſſima illa deſcriptio ſacrificii cujuſdam ſolennis, quod Amburbium, ſive ſacrum amburbiale, vocabatur, quæ reperitur *lib.* I. *Pharſal. v.* 592. *ſeqq.* his verbis:

Mox jubet & totam pavidis a civibus urbem
Ambiri: & feſto purgantes mœnia luſtro,
Longa per extremos pomœria cingere fines
Pontifices, ſacri quibus eſt permiſſa poteſtas.

Denique in ſubſidium quoque adducere poſſum teſtimonium haud obſcurum ex Codice Theodo-

ſiano; nimirum L. 5. C. *Th. de locat. fund. jur. emphyt.* (*lib.* X. *tit.* 3.) ubi ita legitur; *Ædificia, hortos, atque areas ædium publicarum, & ea reipublicæ loca, quæ aut includuntur mœnibus civitatum, aut pomœriis ſunt connexa*, &c. Quis enim non videt, apertum eſſe in hac lege tautologiam, ſi cum Dacerio ſtatuere vellemus, pomœrium fuiſſe tantum intra urbem: eſt ergo in hac lege omnino ſermo de pomœrio extra urbem, id quod fuit probandum.

11. Reſtat adhuc, ut & ea veterum ſcriptorum loca, quæ Dacerii ſententiæ favere, noſtræque opinioni adverſari videntur, paucis removeamus. Præcipuus ſcriptor, quem cum aliqua ſpecie pro ſua ſententia laudat Dacerius, eſt JULIUS POLLUX, lexicographus haud indoctus. Locus, qui profertur, exſtat in ejus *Onomaſtico lib.* IX. *cap.* 5. *ſegm.* 35. *pag.* 1000. *ed.* noviſſimæ *Amſtel.* 1706. *fol. tom.* II. qui Græce ita legitur; Εἴσω δὲ Παρελθόντων, τὸ μὲν σύμπαν, ἐντειχίος τόπος, εἴσω τείχων. καὶ ἐντὸς τείχους. In Latinam vero linguam transferri ſolet hoc modo: *Ingreſſis vero omne illud dicitur Pomœrium, intra muros, intra mœnia.* Sed ad verbum POMOERIUM bene *Wolfg. Seberus* notat: Ἐντείχιος τόπος, locus mœnibus incluſus, aut muro cinctus. *Quo nomine quum* τὸ σύμπαν *Polluci nominetur, dubito, an recte* POMOERIUM *vertatur, licet* Hieronymus Magius *ita hinc citet Miſcell. lib.* III. *cap.* 13. LIVIO *Pomœrium magis circa murum locus.* PLUTARCHO Πωμήριον, οἷον ὄπισθεν τείχους, ἢ μετὰ τεῖχος. *quaſi poſt, vel pone mœnia*, in vita Rom. *fol.* 16. Hactenus *Seberus*: & recte quidem. Facile enim apparet, male hic omnino interpretes vocem *Pomœrium* adhibuiſſe, de quo ne cogitavit quidem Pollux. Immo Græci illud, quod

quod proprie pomœrium apud Latinos dicebatur, plane ignorabant, & in ſua quoque lingua exprimere non poterant, adeo ut & Latinam vocem Πωμήριον retinerent. Senſus autem loci hujus Pollucis eſt hic: Quando quis in urbem ingreditur, tunc totum illud, quod ei occurrit, vocatur: ἐντείχιος τόπος, id eſt locus mœnibus cinctus, ſive incluſus: ἔσω τείχους, id eſt locus intra muros: καὶ ἐντὸς τείχους, id eſt intra mœnia. In quibuſdam Codd. ut notat *Kühn*, legitur: ἐντὸς τειχῶν) Nullum ergo in hoc loco reperit præſidium Dacerius, aliique, qui pomœrium intra urbem fuiſſe putant: hæc enim quæſtio plane ex hoc loco decidi non poteſt. Quod porro ad Plutarchi in *vita Romuli*, *pag.* 23. verba attinet, (ad quæ etiam provocat Dacerius) licet illa ob brevitatem paullo ſint obſcuriora, commoda tamen interpretatione juvari poſſe cenſeo, ne cum aliis veterum locis pugnent: id quod jam tentavit *Jacobus Gronovius* in *notis* ad Livium *lib.* I. *cap.* 44. *pag.* 145. *Tom.* I. *ed. Drakenb.* ubi verba Plutarchi ita interpretatur: *illo igitur ſulco murum deſignat, & vocatur* (ſulcus, ſive ſpatium illud, in quo ductus erat) *per ſyncopen* Pomoerium, *ut quod eſſet ab averſa muri parte, ſeu poſt murum.* (ἔσω ὄπισθεν τείχους, ἢ μετὰ τείχους) Addit etiam: *Ex quo patet, lapſum* Magium Miſcell. lib. III. cap. 13. *dum ſecutus pravam Plutarchi verſionem, eum erroris accuſat, quod pomœrium poſuerit intra muros.* Ex Festo denique nihil certi elici poſſe puto, quum pauca ſuperſint verba legitima, reliqua vero ab eruditis ex ſolo tantum ingenio ſuppleta fuerint. Si quid ego tamen video, Feſtum magis noſtræ, quam Dacerii ſententiæ adſtipulari exiſtimo, eumque in ultimis hujus loci verbis nihil aliud ſignificare voluiſſe,

quam pomœrium exinde nomen accepiſſe, quod ſit poſt mœros, utrobique ſcilicet, tam extra, quam intra muros urbis. Hæc itaque & pro Dacerii ſententia deſtruenda, & pro noſtra declaranda, ſufficere poſſe arbitror. quæ tamen eruditis libenter examinanda relinquo.

CAPUT III.

DE MODIS ADQUIRENDI CIVITATEM ROMANAM.

ARGUMENTUM.

§. 1. *Introitus de dignitate & communicatione civitatis Romanæ.* 2. *Argumentum hoc capite tractandum.* 3. *Summa diviſio modorum: & de civibus natis.* 4. *Primo quidem ex juſtis nuptiis.* 5. *Ubi & de jure municipali.* 6. *Deinde extra juſtas nuptias: ubi regula proponitur: liberi ſequuntur matris conditionem. Sigonius & Alciatus notantur.* 7. *Refutatur Kippingius, & obiter notantur Cujacius & a Coſta.* 8. *Cautio quædam proponitur.* 9. *Exceptionem a regula ſuperiore fecit lex Menſia, quæ illuſtratur:* 10. *Et ad quos non pertineat oſtenditur.* 11. *Eam ad Latinos pertinuiſſe notatur.* 12. *Num abrogata ſit.* 13. *De civibus factis.* 14. *Primo quidem ex ſervis per manumiſſionem.* 15. *Juſtæ manumiſſionis requiſita ſub Imperatoribus.* 16. *Mutatio per Juſtinianum facta.* 15. *De civibus factis ex liberis hominibus per cooptationem.* 18. *Penes quem jus conferendi civitatem Romanam fuerit?* 19. *Hoc jus quomodo Imperatoribus conceſſum ſit?* 20. *Quibus modis col-*

collata ſit civitas? 21. Civitas data vel hominibus tantum, vel locis ſimul. 22. Alciati ſententia examinatur. 23. Alia differentia inter civitatem datam hominibus & locis. 24. In ſpecie de ſingulis hominibus, qui cives facti. 25. De civitate Paulli Apoſtoli. 26. De civibus honorariis. 27. Qua ratione civitas conceſſa Italis per legem Juliam. 28. Qua ratione omnibus in orbe Romano civitas conceſſa per Antoninum Caracallam. 29. De differentia inter Ægyptios & alios ratione civitatis Romanæ adquirendæ. 30. Quæſtiones quædam excutiuntur. Prima de Cenſu num per illum civitas adquiri potuerit? Negatur ex loco Ciceronis, qui explicatur. 31. Quinam in cenſum referendi. 32. Cenſores non poterant dare jus civitatis. 33. Peregrini, in cenſum falſo relati, ex civitate ejiciebantur. Sigonius notatur. 34. Dubium de ſervis per cenſum manumiſſis diſſolvitur. 35. Quid ſub Imperatoribus obtinuerit? 36. Adoptio num tribuerit jus civitatis? quod negatur. 37. Ut & de legitimatione. 38. Nec non de juſtis nuptiis: ubi etiam de matrimonio per errorem contracto agitur. Dubium de jure municipali uxoris. 39. Utrum domicilium poſt Conſtitutionem Antonini Caracallæ tribuerit jus civitatis. 40. De jure togæ gerendæ. 41. Quomodo quis per ſententiam judicis civis fieri potuerit? 42. Quomodo per præſcriptionem civitas adquiri potuerit. 43. Modi ſpeciales, quibus Latini cives fiebant. 44. Primo Latini veteres. 45. Deinde Latini colonarii. 46. Denique Latini Juniani: qui tamen modi & ad alios Latinos pro parte pertinere potuerunt. 47. De beneficio Principis. 48. Primus modus, quo Latini Juniani jus Quiritum conſequebantur: ubi latius explicatur, ad quos hic modus pertinuerit

Digitized by Google

rit vel non. 49. *Cauſa bujus beneficii.* 50. *Per quam legem illud fuerit introductum. Ubi de inſcriptione l.* 134. *&* 137. *D. de V. S.* 51. *Requiſita bujus beneficii.* 52. *Alter modus Iteratio, quæ explicatur.* 53. *Recta interpunctio Ulpiani ſtabilitur. Error veteris ICti notatur.* 54. *Cur ſervus eſſe debuerit in dominio Quiritario.* 55. *De S. C. quo major triginta annorum manumiſſus etiam liberis jus Quiritium conſequi potuit.* 56. *De aliis modis, qui ad omnes Latinos pertinent, in genere.* 57. *Quomodo quis militia jus Quiritium conſequeretur.* 58. *Quomodo nave jura Quiritium impetrarentur: quod beneficium ſimul ex Suetonio illuſtratur.* 59. *Ædificio quomodo jus Quiritium impetraretur. Conjectura de auctore bujus beneficii.* 60. *Piſtrino quomodo quis jus Quiritium conſequi potuerit.* 61. *Quomodo mulier Latinæ conditionis Liberis jus Quiritium conſequi potuerit. Requiſita bujus beneficii.* 62. *Quomodo boc beneficium differat a beneficio legis Juniæ Norbanæ.* 63. *Dubium ex Paullo ſolvitur. Latina Juniana qnando pro ingenua baberetur.* 64. *Novus modus ex lege Conſtantini M.* 65. *Differentia inter cives nonos & veteres. Obiter Burmannus notatur.*

I. CIVITATIS Romanæ jura olim ampliſſima fuiſſe, adeo, ut ne ampliſſimus quidem provincialium cum infimo cive Romano, judice CICERONE in *Orat. pro Fonteio, cap.* 8. comparandus fuerit (*); ideoque jus illud & ſumma quondam ope

(*) Adducitur quidem a multis ad hanc rem probandam hicce CICERONIS locus: ſed ſi connexionem cum antecedentibus & conſequentibus paullo accuratius conſideres, vereor, ne ad hanc rem ullo modo pertineat. Loquitur enim ibi CICE-

ope expetitum, & tanquam maximum beneficium cum exteris communicatum, (Vid. Livius *lib.* XXIII. *cap.* 5.) & magna denique pecunia ſæpenumero comparatum fuiſſe, tam notum eſt, ut probatione non indigeat. Olim quidem republica libera jus civitatis fuit tantum virtutis & meritorum erga rempublicam Romanam præmium: (Vid. Tacitus *Annal. lib.* III. *cap.* 40.) poſtea vero oppreſſa republica, pecunia illud ſæpe venditum fuiſſe multis probat *Joh. Simon Purgold* in ſingulari Diſſertatione *de civitate Romanorum vendita*, *Jenæ* 1700. (Adde *Spanhemii Orbem Rom. Exercit.* I. *cap.* 16) Sed eo ipſo quoque eviluiſſe ſenſim, jam a Claudii uſque temporibus, hocce jus præſtantiſſimum, adeo, ut in proverbium abierit, poſſe illud vel vitreorum vaſorum fragmentis comparari, graviter conqueritur Dio Cassius *lib.* LX. *pag.* 676. Enimvero poſtea, ut eo magis evileſceret, in fiſci Principis commodum, ab Antonino Caracalla illud omnibus in orbe Romano incolis ingenuis, datum dicam, an obtruſum fuiſſe, jam ſatis ab eruditis, *Ezechiele* inprimis *Spanhemio*, fuit demonſtratum: qui vir, dum viveret, & dignitate illuſtris, & eruditione celeberrimus, data opera, in peculiari Tractatu, qui *Orbis Romanus* (*) inſcribitur, id

Cicero non de jurirum prærogativa, ſed de ſola relligione in teſtimoniis ferendis, & in hac ne ampiiſſimum quidem quemquam Galliæ incolam cum infimo cive Romano comparandum eſſe exiſtimat. Quicquid vero hujus ſit, res ipſa tamen per ſe vera eſt, & per modum applicationis (Theologorum methodo) haud inepte latius explicari poteſt locus ille Ciceronis.

(*) Hicce Tractatus eruditiſſimus, cujus lectio omnibus ſerio commendanda, primum inſertus fuit *Tom.* XI. *Theſauri*

id egit, ut ex hiſtoriarum veterum monumentis, quomodo jus civitatis Romanæ ſenſim magis magiſque prolatum fuerit, perſpicue ante oculos poneret, id quod etiam tam egregie præſtitit, ut nihil fere addi poſſe videatur.

2. Juvabit tamen in præſenti capite paucis in ipſos civitatem Romanam adquirendi modos inquirere, eoſque cum modis adquirendi jus municipale comparare, ita quidem, ut ſumma tantum capita, omiſſis ſpecialioribus, ſive titulis, ſive modis, attingamus. Hanc enim doctrinam alii vel plane prætermiſerunt, vel ſparſim tantum attigerunt: & hinc operæ pretium erit, ut præcipua huc ſpectantia uno veluti conſpectu exhibeamus. [*V. Cl. Carolus Henricus Langius* in erudita diſſertatione *de immunitate civis Romani a certis pœnis*, habita *Jenæ* 1728. Promiſit quidem §. 7. ſingularem Diſſertationem de modis adquirendi civitatem Romanam: ſed illum, aliam poſtea ſpartam nactus, hocce conſilium abjeciſſe, colligo ex nova editione laudatæ diſſertationis, quæ ſcilicet inſerta fuit ejus *Obſervationibus ſacris*, edidis *Lubecæ* 1737. in 4to.]

3. Cives Romani (quemadmodum etiam Municipes: *L.* 1. *pr. D. ad municipal. L.* 7. *C. de incolis*) vel naſcebantur, vel fiebant. Ita enim QUINTILIANUS *Inſtit. Orator. lib.* V. *cap.* 10. *Ut ſit civis quis, aut natus ſit oportet, aut factus.* Eandem diſtinctionem habemus etiam *Actor. cap.* XXII. *v.* 28. Quum enim ibi Centurio ſignificaſſet

ri Antiqq. Rom. Joh. Georgii Grævii: deinde ſecundis curis auctior multo ſeparatim prodiit *Londini* 1703 *4to* Hæc tandem editio cum doctiſſima Præfatione *Joh. Gottl. Heineccii* recuſa fuit *Halæ Sax.* 1728. *4to.*

Digitized by Google

caſſet, ſe civitatem Romanam magna pecuniæ
ſumma conſecutum fuiſſe, Paullus reſpondit, ſe
vero eſſe civem natum. Ex civibus ergo cives
rurſus naſcebantur. Civitas enim Romana ſemel
impetrata regulariter ad poſteros quoque omnes
propagabatur. Ex quo manifeſta calumnia Caji
Cæſaris Caligulæ elucet, qui apud SUETONIUM in
ejus vita *cap.* 38. negabat, jure civitatem Ro-
manam uſurpare eos, quorum majores ſibi po-
ſteriſque eam impetraſſent, niſi filii eſſent; ne-
que enim intelligi debere poſteros ultra hunc gra-
dum Sed quis cum tyranno de jure vellet con-
tendere! Naſcebantur vero cives vel ex juſtis
nuptiis, vel extra juſtas nuptias. Ex juſtis nu- 4.
ptiis (quippe quæ inter ſolos cives Romanos con-
ſiſtebant) cives etiam Romanos ſemper natos
fuiſſe facile per ſe intelligitur. Ratione tamen
ſtatus familiæ filius conditionem patris ſequeba-
tur. (*L* 19. *D. de ſtatu hom.*) Quo etiam ſpe-
ctant verba LIVII *lib.* IV. *cap.* 4. *Quid enim in
re eſt aliud, ſi plebejam patricius duxerit, ſi patri-
ciam plebejus? quid juris tandem mutatur? nempe
patrem ſequuntur liberi.* Ita quoque ſi quis paren- 5.
tibus ex diverſis municipiis ortis (inter quos ſci-
licet jus connubii erat) procreatus fuit, ſecun-
dum eandem regulam, ejus municipii civis quis
putabatur, cujus pater civis erat (*L.* 1. §. 2. *D.
ad municipal.*) *Niſi forte* (addit lex laudata) *privi-
legio aliquo materna origo cenſeatur: tunc enim ma-
ternæ originis erit municeps.* [Confer de hocce
privilegio præter Interpretes ad dictam legem,
& ſcriptores de jure municipali, *Jacobi Gothofre-
di Comment.* ad *L.* 51. *C. Theod. de decurioni-
bus*, *lib.* XII. *tit.* 1.]

Quid vero de liberis extra juſtas nuptias pro- 6.
crea-

creatis eſt ſtatuendum? Reſpondet ULPIANUS in *L.* 24. *D. de ſtatu hom. Lex naturæ hæc eſt, ut, qui naſcitur ſine legitimo matrimonio, matrem ſequatur, niſi lex ſpecialis aliud inducit.* Regula ergo hæc eſt: Qui matre cive Romana natus eſt, is etiam eſt civis Romanus, licet pater peregrinæ, vel ſervilis plane ſit conditionis: contra; qui matre peregrina ſervave natus eſt, licet vel maxime pater jure civitatis gaudeat, is etiam peregrinæ, vel plane ſervilis eſt conditionis. (*arg. L.* 5. *D. de ſtatu hom.*) Non igitur indiſtincte cum *Carolo Sigonio de antiquo jure civium Romanorum lib.* I. *cap.* 6. & *Emendationum lib.* II. *cap.* 7. (apud *Gruter. Lamp. Crit. tom.* II. *pag.* 263.) aliiſque, qui eum incaute ſecuti ſunt, dicendum eſt, liberos extra juſtum matrimonium procreatos ne libertatem quidem habuiſſe, aut ſaltem fuiſſe libertinæ conditionis, ut putavit *Alciatus Parerg. lib.* IV. *cap.* 5. Neque enim hoc ſequitur ex illo, qui adducitur, LIVII loco, *lib.* XLIII. *cap.* 3. ubi de ſpeciali tantum agitur caſu. Hiſpanæ enim illæ mulieres, cum quibus cives Romani rem habuerunt, ſine dubio captivæ, adeoque ſervilis fuerunt conditionis, & hinc mirandum quoque non eſt, liberos ex illis procreatos pro ſervis, & poſtquam publice manumiſſi erant, pro libertis fuiſſe habitos. Firmiter itaque tenendum eſt, liberos extra juſtum matrimonium procreatos fuiſſe vel cives, vel peregrinos, (ſed liberos tamen) vel ſervos denique: prout ſcilicet mater eorum vel civis, vel peregrina, vel ſerva fuerit. (Confer etiam, quæ *V. A. Job. Madernus* in notis ad hunc notatum Sigonii locum, *de antiquo jure civium Romanorum*, in noviſſima illa & ſplendida *Operum Sigonii* editione, *Tom.* V. *pag.* 158.

158. monuit.) Hæc omnia confirmat quoque & latius declarat Boethius in *Commentario ad Topicam Ciceronis lib.* II. (ad *cap.* 4.) qui locus hic legi meretur: *Filii*, ait, *non jure ſuſcepti, in patrum non erant poteſtate, ſed matres potius ſequebantur. Non autem omnibus erat connubium cum Romanis, nec erant juſtæ nuptiæ contractæ, quæ non aut inter civem Romanum, civemque Romanam inibatur, aut cui Princeps populuſque civitatem, vel connubium permiſiſſet modo, ut in poteſtatem parentum liberi redigerentur. Illud quoque videndum, quod ex impari matrimonio ſuſcepti, non patrem, ſed matrem ſequuntur. Ergo quædam Romana vel cum Latino, vel cum peregrino, vel cum ſervo, cum quo connubii jus non erat, nuptias fecit, dotem contulit, factoque inter eos divortio, contenditur, an nuptæ mulieris, cum eo, cum quo connubii jus non erat, apud virum dotis pars poſt divortium debeat permanere.* Eadem quoque ratione in municipiis filii vulgo quæſiti matris conditionem ſequebantur, juxta *L.* 1. §. 2. *D. ad municipal.* Id tamen hoc loco notandum adhuc venit, in liberis ex juſtis nuptiis procreatis ad tempus conceptionis; in liberis vero extra juſtas nuptias procreatis ad tempus nativitatis reſpici ſolere. (Vid. Cajus *Inſtit. lib.* I. *tit.* 4. §. 9. Ulpianus *Fragment. tit.* V. §. 10.) Aliud tamen poſtea in favorem libertatis jus fuiſſe introductum, docet Marcianus in *L.* 5. §. 2. *D. de ſtatu hom.*

Ex hiſce igitur, quæ hactenus diſputavi, ſatis 7. patet, falſum omnino eſſe, quod *Henricus Kippengius* (qui plerumque in antiquitatibus enodandis minus accurate verſatus eſt) in *Antiquitatum Romanarum lib.* II. *cap.* 2. §. 3. *pag.* 333. (*ed.* recentiſſimæ *Lugd. Bat.* 1713.) tradit, primis rei-

publicæ Romanæ temporibus neceſſe fuiſſe, ut quis utroque parente cive natus fuerit, poſtea vero ſuffeciſſe, ut quis patre cive genitus ſit. Prius probare vult ex oratione quadam Appii apud LIVIUM *lib.* II. poſterius ex *L. 6.* § 1. *D. ad municipal.* Sed quamnam orationem Appii ex *lib.* II. LIVII auctor ille in mente habuerit, ego primo intuitu ne divinando quidem aſſequi poteram: id vero certum eſſe ſciebam, neque tale quid apud LIVIUM uſquam legi, neque ſententiam Kippingii veram eſſe; (ut ex antecedentibus apparet) ſed eam totam juris Romani analogiæ repugnare. Poſtea tamen ex aliis quibusdam recentioribus, qui eandem fovent opinionem ſcriptoribus, animadverti, Kippingium ſine dubio præ oculis habuiſſe verba ex oratione Appii, quæ apud LIVIUM *lib.* VI. *cap.* 40. reperitur: *An hoc, ſi Claudiæ familiæ non ſim, nec ex patricio ſanguine ortus, ſed unus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum, & vivere in libera civitate ſciam, reticere poſſim?* Quilibet tamen facile perſpiciet, locum huncce Kippingii aliorumque aſſertionem minime probare: non enim eo de jure civitatis agitur, ſed deſcribitur tantum plebejus optimo jure ingenuus, in oppoſitione patritiorum. Alias enim ſequeretur, ne quidem libertinis parentibus ortum olim civem fuiſſe Romanum: id quod nemo facile affirmabit. Non intellexit quoque bonus ille Kippingius legem laudatam 6. §. 1. *D. ad municipal.* In ea enim ſermo eſt, non de jure civitatis Romanæ, ſed de jure municipali. Ratio vero differentiæ inter hæc in promtu eſt. Inter duos enim perſonas, ex diverſis municipiis ortas, erat jus connubii, & hinc liberi, utpote juſtis nuptiis procreati,

creati, conditionem patris, adeoque etiam ejus municipium ſequebantur, ut ipſe ſupra indicavi, & lex illa laudata probat. Inter cives vero & peregrinos non erat jus connubii: ideoque in liberis, ex diverſæ conditionis parentibus procreatis, tantum abeſt, ut ad patris conditionem reſpici potuerit, ut illi ne patrem quidem jure civili habere intelligerentur, & hinc neceſſario matris conditionem ſequi deberent. Nunquam ergo ad jus civitatis ſufficiebat, ut quis patre cive eſſet genitus: ſufficiebat potius olim, ut quis matre cive eſſet genitus, neque hoc demum, ut putat *Kippingius loco laudato*, ex reſcripto Adriani (intelligit S. C. apud ULPIANUM *Fragm. tit.* III. §. 3.) fuit introductum, ut ex infra dicendis clarius apparebit. Sed hæc in viro, qui Themidis ſacris initiatus haud fuit, aliquo modo ferenda ſunt: in tyronum tamen præcipue gratiam indicare debui, ne forte in librum illum incidentes in errorem trahantur. Neſcio vero, quid viros *juris* peritiſſimos, *Jacobum Cujacium* & *Janum a Coſta* permoverit, ut ſtatuerent, olim ſemper partum deterioris conditionis parentis ſtatui fuiſſe obnoxium, idque demum ſub Severis Imperatoribus, ſive Septimio, ſive Alexandro fuiſſe mutatum: ſed hoſce viros doctiſſimos abunde jam refutavit & in viam reduxit B. *Antonius Schultingius* in notis ad ULPIANUM *Fragm. tit.* V. §. 8. *p.* 579. *ſeq.* in *Juriſpr. Antejuſtin.* Ut nihil addi neceſſe ſit. Unica tamen cautio hic notanda adhuc venit. Quando ſcilicet dicimus, eum, qui 8. patre peregrino, matre cive Romana procreatus eſt, civem Romanum eſſe, id intelligendum eſt, ſi ſcilicet mater jus civitatis Romanæ adhuc retinuit. Quando enim mulier civis cum

 pere-

peregrino matrimonium juris gentium contraxit: ita, ut etiam domicilium mariti ſecuta, & in aliena civitate ſe pro cive recipi paſſa fuerit, tunc omnino jus civitatis Romanæ amittebat, quia ex principiis juris publici Romanæ reipublicæ nemo duarum civitatum civis eſſe poterat: (vid. Cicero *pro Balbo*, *cap.* II. & *pro Cæcina*, *cap.* 34.) Hoc ergo caſu liberos quoque ejus patris conditionem ſecutos, & hinc peregrinæ ſortis fuiſſe, facile intelligitur. Per ſolum tamen cum peregrino matrimonium, ſine civitatis mutatione, mulieres jus civitatis Romanæ non amiſiſſe, explorati juris eſt. Sed hæc regulæ ſupra traditæ declaratio potius, quam exceptio vocanda eſt.

9. Exceptionem tamen quandam ab hac regula adeſſe, Ulpianus ultimis verbis legis laudatæ 24. D. *de ſtatu hom.* indicat: *niſi lex ſpecialis aliud inducit.* Quænam vero illa lex ſpecialis ſit, ex ipſo Ulpiano optime diſci poteſt, quippe qui in *Fragm. tit.* V. §. 1. ita loquitur: *Connubio interveniente, liberi ſemper patrem ſequuntur; non interveniente connubio matris conditioni accedunt: excepto eo, qui ex peregrino & cive Romana peregrinus naſcitur, quoniam lex Menſia ex alterutro peregrino natum deterioris parentis conditionem ſequi jubet.* Vocat ergo Ulpianus legem, quæ exceptionem introduxit, juxta conſtantem MSS. lectionem, Mensiam, quæ non temere eſt ſollicitanda, licet gentem hactenus Menſiam apud Romanos ignoremus: nondum enim omnium gentium nomina, quæ quondam Romæ floruerunt, cognita ſunt. Quis tamen hujus legis auctor ſuaſorque; quo tempore, quave occaſione lata fuerit, id omne in tanto veterum ſilentio manet incertum. Oppreſſa

preſſa tamen republica eam demum latam fuiſſe ſuſpicor ob locum CICERONIS *Topic cap.* 4. *Si mulier, quum fuiſſet nupta cum eo, qui cum connubium non eſſet, nuntium remiſit, quoniam qui nati ſunt, patrem non ſequuntur, pro liberis nihil manere oportet.* (Ad quæ verba conferendus BOETHII *Commentarius*, cujus verba ſupra integra exhibui) ſed miſſis incertis conjecturis, videbimus potius ipſius legis ſanctionem. Ante legem nimirum hanc Menſiam regula ſupra tradita indiſtincte ſemper valuit: poſtea vero diſtinctio per eam introducta fuit inter liberos, qui, matrimonio juris gentium interveniente, ex peregrino patre procreati, & illos, qui alio quocunque modo a cive Romana extra juſtas nuptias geniti ſunt. Priores peregrinæ conditionis erant: poſteriores vero civitate Romana gaudebant. [Nimis generaliter loquitur B. *Schultingius* ad locum Ulpiani laudatum, *pag.* 580. in *Juriſpr. Antejuſt:* quando ait: *Lex vero hæc civitatem non voluit adquiri per nativitatem, niſi uterque parens eſſet civis.*] Quod ergo paullo ante eo tantum caſu, quando mater per receptionem in alienam civitatem Romanæ civitatis jus amiſit, obtinuiſſe docui, id per hancce legem juris univerſalis factum fuit, ut jam perinde eſſet, ſive mater jus civitatis Romanæ retineret, ſive per matrimonium illud amitteret. Rationem hujus legis non eam fuiſſe puto, quam *Charondas* in notis ad Ulpiani locum laudatum reddidit: *quia hoc injuſtum matrimonium eſt:* ſed hanc potius, quod tale matrimonium omnino ſecundum jus gentium juſtum ſit, & hinc æquum eſſe, ut liberi quoque jure gentium patris conditionem ſequerentur, putaverint Romani.

Quia vero lex tantum agit de liberis ex pere- 10.

grino & cive Romana, matrimonio juris gentium interveniente, procreatis, ſequitur: (1) legem non pertinere ad liberos incerto plane patre natos, qui vulgo quæſiti, ſive ſpurii vocantur. L. 3. C. *ſoluto matrim.* [Nota tamen, ſpurios & nothos, matre cive genitos, jura quidem civitatis Romanæ habuiſſe, non vero jura Gentilitia & familiæ: nullam enim gentem & familiam habere intelligebantur, neque patris, quia nullum jure Romano habebant; neque matris, quia mulier gentem & familiam propagare non poterat. L. 195. §. 5. L. 196. §. 1. D. *de* V. S. Solebant tamen plerumque matris nomen gentilitium aſſumere, ut annotavit B. *Joh. Gottl. Heineccius* in *Comment, ad L. Jul. & Pap. Popp. pag.* 169. *ſeqq.* Meram confuſionem ſapiunt, quæ hac de re inter ſe diſputarunt *Franciſcus Robortellus* in *Annotationum lib.* I. *cap.* 20. *pag.* 44. *ſeq.* & *Carolus Sigonius Emendationum lib.* II. *cap.* 6. & 7. *pag.* 262. *ſeq.* apud *Grut. Lamp. Crit. tom.* II. quos ideo non moramur: Sigonii quoque hac in re errorem jam ſupra notavimus.] (2) Neque ad eos pertinuiſſe legem, qui ex damnato plane coitu procreati ſunt, quales adulterini & inceſtuoſi: quia hi prioribus æquiparantur. (Vid. ULPIANUS *Fragm. tit.* V. §. 7.) (3) Neque ad eos, qui concubina cive geniti, modo pater etiam civis Romanus fuerit. [Concubinatus enim, per leges introductus, ad ſolos cives pertinebat: ergo ſi mulier civis cum peregrino conſueſceret, id ſemper pro matrimonio juris gentium habebatur.] (4) Neque denique ad eos pertinebat lex, qui ex matre cive & ſervo patre procreati. (L. 9. *de decurionibus.*) Servi enim ſub peregrinorum denominatione proprie non comprehendebantur,

&

& diſtinctio illa inter cives & peregrinos ad ſolos liberos homines pertinebat. Diſertis quoque verbis hoc traditur in L. 3. C. *ſoluto matrim.* Neque tamen ibi novum aliquod jus conſtituitur, ſed ex jure tantum veteri ejuſque analogia reſpondetur. Fallitur ergo *Georgius d'Arnaud Conject. lib.* I. *cap.* 20. *pag.* 145. quando ob L. 2. *pr.* D. *ne de ſtatu defunct.* exiſtimat, ante Antonini illud reſcriptum, patris quoque deteriorem conditionem liberorum vel libertati, vel ingenuitati offeciſſe. Sed quia hoc cum juris analogia pugnat, lex hæc aliter eſt explicanda, vel de caſu, ubi uterque parens ſtatus ſervilis fuit; vel de libertate juris civilis ſive Quiritium, ſecundum legem Menſiam. Alias ſpecies comminiſcitur *Schultingius* in *Juriſpr. Antejuſt. pag.* 580. quem locum ſi doctiſſimus ille juvenis (qui orbi erudito præmatura morte ereptus fuit, antequam præcox & præclarum ejus ingenium ſtudia ſua ad plenam perducere poſſet maturitatem) attente legiſſet, ſine dubio non a recta via aberraſſet. In hiſce igitur omnibus, quos expoſui, caſibus diſpoſitio juris veteris ſalva permanſit, neque quicquam per legem Menſiam fuit mutatum. Quæritur II. vero, utrum lex ad Latinos quoque pertinuerit? Affirmavit hoc olim *Cujacius*; negavit M. *Vetranius Maurus:* fluctuat *Schultingius* in *Juriſpr. Antejuſt. pag.* 575. & 580. ſed legem hancce omnino quoque ad Latinos pertinuiſſe, accurate docuit B. *Heineccius* in *Comment.* ad L. *Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 9. *pag.* 226. Liberi igitur ex Latino patre & cive Romana matre procreati ſecundum hanc legem patrem quoque ſequebantur, adeoque Latinæ erant conditionis, niſi pater liberis ex lege Junia Norbana jus Quiritium

conſequeretur, qua de re infra erit dicendum. Sed hac quidem in parte poſtea per SC. Adriani temporibus factum legi Menſiæ (quam ideo Adriano antiquiorem fuiſſe neceſſe eſt) derogatum, & jus antiquum reſtitutum fuit. Eo enim cautum, ut, ſi civis Romana Latino nupſerit, liberi, qui ex ea naſcebantur, matris ſequerentur conditionem, & hinc jus civitatis Romanæ haberent. (Vid. Ulpianus *Fragm. tit.* III. §. 3. ibique Interpretes, & *Heineccius l. c. pag.* 225.)

12. Cæterum lex Menſia, quantum ſcio, numquam quidem expreſſe abrogata eſt, fortaſſis tamen in deſuetudinem abiit, ſiquidem nulla ejus mentio in jure Juſtinianeo exſtet. Immo non tam facile quoque uſum habere potuit poſt communicatam ab Antonino Caracalla cum omnibus in orbe Romano ingenuis civitatem. (Confer. interim *Spanhemii Orbem Rom. Exerc.* II. *cap.* 22.

13. Hæc de civibus natis: jam videbimus, quomodo ii, qui per nativitatem non erant cives, jus civitatis Romanæ conſequi poterant. Cives fiebant vel ex ſervis, vel ex liberis homini-

14. bus peregrinæ conditionis. Ex ſervis fiebant cives per manumiſſionem. (Ita etiam in municipiis juxta L. 1. *pr.* D. *ad municipal.* & L. 7. C. *de incol.*) Enimvero ſervi vel publica auctoritate ob merita in rempublicam manumittebantur: vel privata auctoritate a dominis ſuis. Priores ſine dubio, ſi non ſemper, aſt plerumque tamen cum libertate civitatem quoque Romanam accipiebant. Vid. Livius *lib.* II. *cap.* 5. Cicero *Orat. pro Balbo*, *cap.* 9. & conf. *Spanhem. Orb. Rom. Exerc.* I. *cap.* 3. *pag.* 15. [Unicum modo hactenus caſum reperire potui, ubi ſervus in prœmium, non civitatem, ſed Latinitatem tantum accipiebat, ex

Lege

Lege nempe Conſtantini M. L. 1. C. *Th. de raptu virg.* & *vid. lib.* IX. *tit.* 24. *Siquis vero ſervus raptus facinus diſſimulatione præteritum aut pactione transmiſſum, detulerit, in publicum Latinate donetur.*] Quod ad poſteriores attinet, de iis diverſa jura, quæ pro diverſis temporibus Romæ obtinuerunt, paucis notanda veniunt. Primis quidem poſt Romam conditam temporibus ſervi manumiſſi non fiebant cives per manumiſſionem, ſed liberi tantum jure gentium. [Non ergo cum *Wilhelmo a Loen de Manumiſſ. lib.* I. *cap.* 1. dicendum eſt, nullos ſervos antiquiſſimis ante Servium Tullium temporibus fuiſſe manumiſſos: ſed fuit tantum manumiſſio juris gentium, & defuerunt modi manumittendi, qui effectum civilem producerent. Vid. DIONYSIUS HALIC. *lib.* IV. *pag.* 226. & *pr. Inſtit. de libertin.*] Hoc mutavit Servius Tullius, Rex humaniſſimus, qui primus conſtituit, ut ſervi a cive Romano juſto modo manumiſſi cum libertate ſimul jura quoque civitatis conſequerentur. (Vid. DIONYSIUS HAL. *lib.* IV. *pag.* 216.) Ab eo uſque tempore certi quidam modi legitimi, quibus ſolis juſta manumiſſio fieri poterat, introducti fuerunt apud Romanos, nimirum Cenſus, Vindicta, Teſtamentum: ita ut, quicunque uno ex hiſce tribus modis erant manumiſſi, ii non tantum liberi, ſed & cives Romani fierent: qui vero nullo horum modo manumiſſi, ii plane jure civili ne liberi quidem eſſe intelligerentur. Sic enim CICERO *Topic. cap.* 2. argumentatur: *Si neque cenſu, neque vindicta, neque teſtamento liber factus eſt, non eſt liber.* [Hoc JUSTINIANUS §. 3. *Inſtit. de libertin.* ita exprimit: *A primis urbis Romæ cunabulis una atque ſimplex libertas competebat.* Ex quibus tamen verbis falſo concludit *Wilhelmus a Loon de Manumiſſ.*

numiſſ. lib. I. *cap.* 1. initio unum etiam atque ſimplicem manumittendi modum fuiſſe. Licet enim in re ipſa conſentiam, quod ſcilicet cenſus primus, & ſub Servio Tullio unicus legitimus manumittendi modus fuerit: id tamen non poteſt ex verbis Juſtiniani elici: quamvis enim una atque ſimplex ſit libertas, poſſunt tamen plures eſſe manumittendi modi legitimi, qui eundem producunt effectum, ut revera etiam Romæ fuerunt tempore liberæ reipublicæ.] Quid ſi vero quis ſervum ſuum ſine iſtis ſolennitatibus, per nudam voluntatis declarationem, liberum eſſe juſſerit? Tunc ſervus quidem jure civili non fiebat liber, multoque minus civis Romanus: ſed erat tamen jure gentium in libertate, & hinc Prætor ex æquitate interveniebat, & non permittebat, ut dominus iſtum hominem rurſus in ſervitutem traheret, licet domino, non ſecus ac ſervus, adquireret. Hæc optime diſcimus ex *Fragmento Regularum veteris ICti* (quod Græce & Latine cum eruditis annotationibus edidit. V. *Cl. Matthias Röver*, *Lugd. Bat.* 1739. 8vo.) §. 6. 7. *pag.* 804. ſeq. in *Juriſpr. Antejuſt.* (ubi Latine tantum exſtat) Confer etiam Interpretes ad Caii *Inſtitutiones lib.* 1. *tit.* 1. *pr.* & §. 1. in *Juriſpr. Antejuſt. pag.* 7.
15. *ſeqq.* Ita tempore liberæ reipublicæ res ſeſe habuit. Poſtea vero ſub Imperatoribus magna hac in parte juris mutatio facta fuit per leges celeberrimas, Æliam Sentiam, Juniam Norbanam, & Fuſiam Caniniam. Per haſce enim non tantum ipſa manumittendi libertas variis modis fuit reſtricta, ſed & triplex libertorum genus invaluit, ut alii ſcilicet per manumiſſionem fierent cives Romani, alii Latini, (qui Juniani dicti ſunt) alii denique dedititiæ conditionis. [Maxime ergo fallitur *Petrus Pithoeus Adverſ. ſubceſ. lib.* II. *cap.* 9.

dum

dum ita diſtinguit: *Libertas eſt vel juſta, vel Latina: ex Latinis alii Juniani, alii dedititii dicuntur.* Omnes enim Liberti Latini dicebantur Juniani, ad differentiam Latinorum colonariorum, omneſque dedititiis contradiſtinguuntur: nunquam vero dedititii ſub Latinis comprehenduntur. Debuiſſet ergo potius ita diſtinguere: Libertas eſt vel juſta, vel non juſta: hæc eſt vel Latina, vel dedititia. Id quod cautionis ergo in tyronum gratiam annotare debui.] Ut igitur ſervus per manumiſſionem fieri poſſet civis Romanus, ſecundum haſce leges ſequentia requiſita erant neceſſaria: 1) Ut dominus ipſe non tantum eſſet civis Romanus, ſed & dominium Quiritarium in ſervum haberet. (Vid. *Fragment. Regul. veteris ICti.* §. 12. Ulpianus *Fragm. tit.* I. §. 16.) 2) Ut juſtæ quoque ætatis eſſet; aut pupillus tutore auctore; minor cauſa apud Conſilium probata manumiſerit. (Ulpianus *Fragm. tit.* I. §. 13. & 17. Caius *Inſt. lib.* I. *tit.* 1. §. 7.) 3) Ut mulier, quæ erat ſub perpetua tutela, non niſi tutore manumiſerit. (Ulpianus *Fragm. tit.* I. §. 17. *Fragment. Regul. veteris ICti* §. 15.) 4) Ut dominus teſtamento non plures, quam lex permittebat, manumiſerit. (Ulpianus *Fragm. tit.* I. §. 24. Caius *Inſt. lib.* I. *tit.* 2.) 5) Ut manumiſſio non facta fuerit in fraudem vel creditorum, vel patroni. (Caius *Inſt. lib.* I. *tit.* 1. §. 5. 6. Ulpianus *Fragm. tit.* I. §. 14. 15.) 6) Ut ſervus manumiſſus non minor eſſet, quam triginta annorum. (Ulpianus *Fragm. tit.* I. §. 12.) 7) Ut ſervus eſſet frugi, neque ob aliquod delictum pœnæ cauſa publice cæſus, vinctus, tortus, ſtigmate inuſtus, aliove graviori ſupplicio affectus. [Vid. Caius *Inſt. lib.* I. *tit.* 1. §. 3. Ul-

PIA-

pianus *Fragm. tit.* I. §. 11. Addenda tamen hic eſt obſervatio *Petri Pithoei Adverſar. Subceſ. lib.* II. *cap.* 9. qui bene notat, ſervos olim vinctos compeditoſque habitos fuiſſe, alios quidem ob delictum pœnæ cauſa, alios vero vel ſolius cuſtodiæ gratia, vel ex conſuetudine, ut e. g. janitores, vel etiam alias ob cauſas extra delictum. Priores ſolos legem Æliam Sentiam a juſta libertate removiſſe: ad cæteros vero legem iſtam haut pertinuiſſe: id quod etiam probat *Schultingius l. c. pag.* 565. in *Juriſ. Antejuſt.* contra *Dionyſium Gothofredum*, qui ſua tamen hauſit ex B. *Briſſonio*, qui in *Antiquitatibus ſelectis lib.* II. *cap.* 9. de ſervis compeditis deque ſervorum ergaſtulis egit. Confer præterea hac de re *Juſt. Lipſium Elector. lib.* II. *cap.* 15. *Jacob. Durantium Caſellium Variar. lib.* I. *cap.* 15. *Lud. Cœlium Rhodiginum Lect. Antiqq. lib.* VII. *cap.* 31. *Marcellum Donatum* in *Delucidat.* ad *Suetonium pag.* 567. *ſeqq.* T. VI. *Lamped. Crit. Grut.* & ad *Livium lib.* XXIX *cap.* 18, *pag.* 340. *ſeq.* T. IV. *ed. Drakenb. Anton. Bombardinum* in *Tract. de Carcere*, *cap.* 15. *Georg. d'Arnaud Diſſert.* ſub Præſidio *Abrahami Wieling* habitam, de *Jure ſervorum*, *cap.* 9. aliosque ſcriptores generales de ſervis & pœnis Romanorum] 8) Denique etiam requiritur, ut uno ex tribus antea indicatis modis ſolemnibus, vel Cenſu ſcilicet, vel Vindicta, vel Teſtamento, ſervus manumiſſus fuerit. Pro cenſu tamen ſub Imperatoribus Chriſtianis manumiſſio in S. S. Eccleſiis fuit ſubſtituta. (Caius *Inſtit. lib.* I. *tit.* 1. §. 1. Ulpianus *Fragm. tit.* I. §. 6.) Sic hæc itaque omnia aderant requiſita, tunc ſervus per manumiſſionem fiebat quoque civis Romanus: ſi vero unum alterumue deerat, tunc manumiſſio vel plane erat nulla, vel ſer-

ſervus Latinæ tantum, aut dedititiæ fiebat conditionis, ut ex Caii *Juſtitutionibus lib.* I. tit. 1. & 2. Ulpiani *Fragmentis tit.* I. & ex *Fragmento Regul. veteris ICti* optime addiſci poteſt. (Confer etiam, præter Interpretes ad hæc veterum monumenta, B. *Joh. Gottl. Heineccii Syntagma Antiqq. Rom. lib.* I. *tit.* IV. *ſeqq.*) Et hæc quidem juris diſ- 16.
poſitio ad Juſtiniani Imperatoris uſque tempora valuit. Hic vero Imperator, quemadmodum in toto Jure, ita etiam in hac parte multa mutavit: nam & diſcrimen illud, tum inter tria genera libertorum, tum inter modos manumittendi ſolennes, & minus ſolennes, plane ſuſtulit, & quædam etiam manumiſſionis impedimenta removit, adeo, ut novo jure omnes ſervi, quovis juſto & licito modo manumiſſi, non tantum liberi, ſed & cives Romani efficiantur. (Vide *Inſtitutiones Juſtin. tit.* 5. 6. 7. ibique Interpretes, nec non *Heineccii Syntagma Antiqq. l. c.*) Hæc de ſervis, quomodo cives Romani per manumiſſionem fiant, pro inſtituti noſtri ratione, dixiſſe ſufficiant, modo unica addatur obſervatio. Nimirum interdum liberos etiam homines peregrinos ſe hac conditione civi Romano in ſervitutem tradidiſſe, ut deinde ab eo manumiſſi jus civitatis Romanæ conſequantur: (Vid. Livius *lib.* XLI. *cap.* 8. Petronius *Satyr. cap.* 57.) id quod tamen, ſi in fraudem legum fieret, aliquando reſtrictum fuiſſe legimus. Vid. Livius *lib.* XLI. *cap.* 9.

Jam quod ad liberos homines attinet, ii cives 17.
fieri poterant per adlectionem ſive cooptationem in civium numerum: quemadmodum per cooptationem in municipum numerum novi quoque municipes fiebant. (L. 7. C. *de incolis*) ut vero hanc rem paullo plenius & accuratius exponamus,

mus, duo inprimis hic notanda veniunt: 1) penes quem jus conferendi civitatem fuerit: 2) quam diverſis modis vel rationibus civitas Roma-
18. na collata fuerit. 1) Quod igitur primo ad jus communicandi cum exteris civitatem Romanam attinet, illud initio reipublicæ penes Reges fuiſſe videtur. (Vid. DIONYSIUS HALIC. *lib.* II. *pag.* 89. *ſeq. pag.* 103. & *pag.* 111.) Poſtea vero tempore liberæ reipublicæ, populus ſibi illud ſolus vindicavit, qui civitatem dabat per legem, ſive plebiſcitum. Vid. LIVIUS *lib.* IV. *cap.* 4. & *lib.* VIII. *cap.* 17. & 21. & *lib.* XXIII. *cap.* 31. & *lib.* XXVII. *cap.* 15. VELLEIUS PATERCULUS *lib.* II. *cap.* 16. CICERO *Orat. pro Balbo*, *cap.* 10. 11. & 24. [Plebiſcitum ſaltem poſt legem Hortenſiam ſufficiebat: num antea quoque, dubitari poteſt. *Paulus Manutius de Comitiis cap.* 14. *pag.* 517. tom. 1. *Theſ. Antiqq. Rom Grævii* putat, antea centuriatis comitiis hoc factum fuiſſe. Sed fortaſſis etiam Curiata comitia ſufficere potuerunt] Et quidem vel ex auctoritate Senatus, vel ſine Senatus auctoritate: (Vid. LIVIUS *lib.* XXXVIII. *cap.* 36) niſi dicere velimus, ipſam civitatem populum non dare ſolitum fuiſſe ſine Senatus auctoritate; jus vero ſuffragii etiam ſine Senatus auctoritate: qua de opinione, licet forſan haud improbabii, non tamen acriter contende-
19. re volo. Illud interim certum eſſe videtur, propria auctoritate neque Senatum, neque Magiſtratus jus civitatis concedere potuiſſe, niſi populus per legem id vel permitteret, vel poſtea ſaltem confirmaret. Sæpe tamen populum Romanum Imperatoribus quibusdam, [Interdum etiam iis, qui coloniam deducebant: exemplum vide apud CICERONEM *de claris Orator. cap.* 20.] libera adhuc repu-

republica eam per legem poteſtatem dediſſe, ut, quoſcunque dignos judicarent, eos civitate donare poſſent, animadvertimus: hujuſque rei luculentum exemplum habemus apud CICERONEM *Orat. pro Balbo*, *cap.* 8. (Adde *Orat. pro Archia*, *cap.* 10. VALERIUM MAXIMUM *lib.* V. *cap.* 2. *ex.* 8.) Sæpe etiam, dum populus Imperatorum acta per legem confirmaret, jus quoque civitatis ab iis datum ſimul confirmatum fuit. Cujus rei notabile exemplum itidem præbet Pompejus Magnus, cujus Acta, confecto bello Mithridatico, poſt magnam contentionem tandem ope Cæſaris per legem confirmata ſunt, teſte DIONE CASSIO *lib.* XXXVIII. *pag.* 62. Sic etiam populus per legem confirmavit jus civitatis a Julio Cæſare Gaditanis conceſſum, ut itidem teſtatur DIO CASSIUS *lib.* XLI. *pag.* 164. Immo quum generatim acta Cæſaris poſt mortem ejus confirmata eſſent, hoc colore Antonius multis civitatem dedit, vel potius vendidit, tamquam ex Cæſaris commentariis. Vid. CICERO *Philipp.* I. *cap.* 7. *ſeqq.* & *Philipp.* V. *cap.* 4. Quando igitur legimus tempore liberæ reipublicæ, vel Senatum, vel Magiſtratum, vel Imperatorem quendam hac de re aliquid ſtatuiſſe, ſemper id vel populum juſſiſſe, vel lege poſtea confirmaſſe, ſubintelligere debemus. Hinc tamen ſine dubio oppreſſa republica, evileſcente indies magis magiſque Senatus Populique auctoritate, exemplum ſumſerunt Imperatores Principes, ut pro arbitrio jus civitatis, quibuſcunque vellent, concederent: hanc enim poteſtatem hoſce Imperatores exercuiſſe nemini vel mediocriter in hiſtoria Romana verſato ignotum eſſe poteſt. Veroſimile tamen mihi ſit, hanc etiam facultatem iis expreſſe per celeberrimam iſtam le-

legem regiam conceſſam fuiſſe: licet caput illud in fragmento hodie ſuperſtite non amplius ſuperſit.

20. Hæc de jure conferendi civitatem. 2.) Jam etiam videbimus diverſos modos, vel rationes, quibus civitas Romana cum peregrinis fuerit communicata. Hic vero ante omnia notandum eſt, civitatem datam fuiſſe vel ſingulis hominibus, vel pluribus ſimul: idque vel ita, ut ſimul Romam transferrentur, vel ita, ut in ſuis ſedibus manerent. Exempla horum omnium paſſim proſtant, & vel ex ſola CICERONIS *Oratione pro Balbo* peti poſſunt. Sub Regibus & primis reipublicæ liberæ temporibus non alia ratione civitatem vel ſingulis, vel pluribus datam fuiſſe legimus, quam ut ſimul Romam fuerint tranſlati, cujus rei exempla paſſim, apud DIONYSIUM præſertim HALICARN. inveniri poſſunt. Poſtea vero, ab anno circiter poſt urbem conditam CCCC. ſaltem poſt urbem a Gallis recuperatam, inſtituerunt Romani, ut etiam cum exteris oppidis populiſque jus civitatis communicarent, ita, ut illis domicilium Romam transferendi neceſſitas

21. non imponeretur. Sed hic præcipue ad diverſam conditionem reſpiciendum eſt, quomodo Romani cum exteris jus civitatis communicaverint. Aut enim dederunt civitatem hominibus, ſive ſingulis, ſive pluribus ſimul, ſine aliquo loci reſpectu: aut dederunt illud integris oppidis, quæ ideo oppida civium Romanorum, & Municipia in ſenſu lato (quæ enim ad municipium in ſenſu ſtricto & proprio requirerentur, alio capite exponam) vocata fuerunt. Diſcrimen hoc, quod vulgo obſervari non ſolet, magni eſt momenti. Quando enim hominibus tantum civitas dabatur, id bona eorum immobilia non afficiebat: unde prædia eorum pot-

poterant eſſe provincialia, quum ipſi tamen eſ-
ſent cives Romani. Ex quo intelligitur, inte-
gris populis, nationibus provinciiſque civita-
tem dari potuiſſe, ut tamen ratione locorum
& prædiorum nulla exinde fieret mutatio. Sin
vero oppidum aliquod civitate eſſet donatum,
tunc prædia etiam, & fundi, qui ad terri-
torium illius oppidi pertinebant, juris civilis
participes facti ſunt: etſi vel maxime oppi-
dum illud in provincia eſſet ſitum, non per-
tinebat tamen amplius proprie ad provin-
ciam, eatenus ſaltem, ut neque cives illius pro-
vinciales, neque prædia amplius eſſent Provincia-
lia. [Neſcio, utrum hoc diſcrimen forte in men- 22.
te habuerit *Andreas Alciatus*, dum *Parerg. lib.* I.
cap. 14. dicit.: ***Aliqui cives Romani erant, quum
eorum ager juris Romani non eſſet, ut Volaterrani.
Erant, quorum ager juris Romani cenſebatur, qui
fundi populi ideo appellati.*** Sunt ſane hæc verba ob-
ſcura, & ſi non ex iis quæ paullo ante dixi, com-
mode explicentur, conſiſtere nulla ratione poſ-
ſunt. Neſcio vero, quid huc pertineant Vola-
terrani municipes? Nuſquam ſane Cicero in
Orat. pro domo (cui Alciatus teſtimonium denun-
tiat) illud dicit, Volaterranorum agrum non fuiſ-
ſe juris Romani: ſed narrat tantum, (*cap.* 30.)
Sullam iis in pœnam per legem & civitatem,
& agros ademiſſe: hanc vero legem ratam fuiſſe
ſolum quoad agros, quia in populi poteſtate erat,
agros municipiis dare, vel eripere: non autem
ratam fuiſſe quoad jus civitatis, quia illud per
legem eripi non poterat. Neque etiam intellexit
bonus ille Alciatus, quid populi fundi fuerint,
quod hodie notiſſimum eſt. Sic etiam admitti non
poteſt, quando ſtatim doctus ille ICtus addit:
Qui ſpeciali privilegio in fœderatis & Latinis oppidis

cives Romani erant, *cenſi dicebantur:* quum hæc vocabuli hujus ſignificatio nullo veterum teſtimonio nitatur. Sed hæc in tali viro annotanda, ne aliis errandi occaſionem præbeant; non vero reprehendenda ſunt, quia eo tempore vixit, quo antiquitates Romanæ adhuc in tenebris ſuis ſepultæ jacebant, adeo, ut mirandum fere ſit, illum in iis reſuſcitandis tantum præſtitiſſe, quantum
23. revera præſtitit. [Porro, quando hominibus datum jus civitatis fuit, tunc illi iſtud ad hos tantum poſteros propagare poterant: ſi vero integro alicui oppido dabatur, tunc non modo omnes, qui eo tempore in illo cives erant cum ſuis poſteris, ſimul civitatem Romanam conſequebantur, ſed & omnes illi, qui poſtea in tali oppido civium numero juſto modo adſcribebantur. (Vid. CICERO *Orat. pro Archia*, *cap.* 4. *ſeq.*.

Hinc facile quoque patet, omnes, qui in oppidis civium Romanorum cives erant, & Romæ quoque ſimul fuiſſe cives: neque tamen propterea eos fuiſſe duarum civitatum cives, (id quod jus publicum Romanorum non patiebatur) ſed cives tantum Romanos, quia oppida civium Romanorum tanquam partes ſolummodo civitatis Romanæ conſiderabantur. Longe igitur a via aberrat *Marcellus Donatus*, quando in *Dilucidationibus* ſuis ad *Suetonium*, *tom.* VI. *Lampad. Crit. Gruteri*, *pag.* 415. ex principio illo, quod nemo duarum civitatum civis eſſe poſſet, ſequi putat, veros tantum cives Romanos fuiſſe illos, qui in urbe domicilium haberent, id quod tamen noſtris temporibus uberiori refutatione non indiget.

24. Quod vero ad ſingulos homines attinet, qui ſine loci alicujus ſive oppidi reſpectu jure civitatis donati erant, illi non poterant amplius cives eſſe in ſua patria, jure civitatis Romanæ non

non gaudente, quia ſic duarum diverſarum civitatum cives omnino fuiſſent, id quod jus Romanorum non patiebatur. Hinc quum milites quidam Præneſtini ob virtutem civitate Romana donarentur; illique cives Præneſtini manere mallent: *non mutaverunt*, inquit Livius *lib.* XXIII. *cap.* 20. civitatem ſcilicet Præneſtinam. Accepta enim Romana civitate, non potuiſſent amplius cives Præneſtini manere, quum eo tempore Præneſte nondum eſſet oppidum civium Romanorum. Quum ergo cives Præneſtini manere volebant, debebant repudiare civitatem Romanam. Nihil vero prohibebat, quo minus vel in patria, vel in aliis urbibus, quæ juris civitatis Romanæ haud participes erant, poſſent habitare hujusmodi cives Romani, dummodo ſe ibi non pro civibus gererent, aut ſe in numerum civium recipi paterentur. (Exempla vide apud Livium *lib.* XXVI. *cap.* 21. & Suetonium in *vita Neron. cap.* 12. &
24.) Sic, ut hoc obiter addam, Paullus Apoſtolus 25.
lus potuit eſſe natus civis Romanus, & ſimul quoque nativitate, ſive patria, Tharſenſis eſſe: non vero potuit eſſe civis Tharſenſis; quum eſſet civis Romanus, quia nempe Tharſus non erat oppidum civium Romanorum, ut poſt alios noviſſime probavit V. *Cl. Joh. Arnzenius* in peculiari *Diſſert. de Civitate Apoſtoli Paulli*, quæ cum alia *de colore & Tinctura Comarum*, prodiit *Trajecti* 1725. 8vo. Neque tamen hoc tantam habet difficultatem, ut vir ille doctiſſimus putat. Potuit enim facile unus ex majoribus Apoſtoli civitatem Romanam, ob meritum forſan aliquod nobis incognitum, ab Imperatore quodam, vel Pompejo, vel alio, impetrare, hicque illam ad poſteros ſuos propagare, ita tamen, ut domicilium

neque Romæ, neque in alio quodam civium Romanorum oppido habuerit. Fuit ergo Paullus Tharſenſis quidem nativitate, quia pater ejus ibi habitavit: jure autem fuit civis Romanus: minime vero civis Tharſenſis, niſi inproprie, vocari poterat. Sic multos paſſim cives Romanos in provinciis, & in oppidis, quæ jure civitatis Romanæ non gaudebant, vixiſſe & habitaſſe, paſſim in lectione veterum ſcriptorum animadver-
26. timus. Hujusmodi tamen generis cives non incommode *honorarii* dici poſſunt, quia honoris tantum cauſa jus civitatis Romanæ habebant, & privatis etiam Quiritium juribus fruebantur. Quum vero neque Romæ domicilium haberent, neque in alio civium Romanorum oppido eſſent adſcripti, nullam quoque tribum, nullum cenſum habere poterant, & hinc cæteris quoque, quæ exinde pendebant, juribus frui non poterant. Ex quo etiam apparet, cur Paullus non neceſſe habuerit Romam ad cenſum proficiſci, quod *Cl. Arnzenio* explicatu difficile viſum fuit. Sed hac de re alibi pluribus erit dicendum.

27. Hæc, quæ hactenus dixi, paucis jam applicare volo, ad duo potiſſimum tempora, quibus per legem quam plurimis admodum jus civitatis datum fuit. Primo hoc contigit per legem Juliam, per quam omnibus Italis conceſſum jus civitatis fuit. Quæritur ergo, utrum lex illa magis ad homines, ſive populos Italicos, an vero magis ad loca & oppida Italiæ reſpexerit? Ego omnino exiſtimo, legem Juliam potiſſimum ad homines & populos Italiæ, non vero ad loca & oppida reſpexiſſe. Videmus enim in conditione ipſorum Italiæ oppidorum per legem illam nullam factam fuiſſe mutationem: videmus adhuc poſt legem illam

illam eandem, quæ antea obtinuit, differentiam inter Municipia, Colonias, Præfecturas, aliaque oppida: adeo, ut valde errent, qui putant, per legem iſtam celeberrimam omnia Italiæ oppida municipia facta fuiſſe. Alterum exemplum, ad 28.
quod reſpicio eſt, quando per generalem illam Antonini Caracallæ Conſtitutionem jus civitatis Romanæ cum omnibus in orbe Romano incolis ingenuis communicatum fuit. Hic enim iterum quærendum, utrum illud beneficium ad homines tantum, an vero ad bona quoque vel oppida pertinuerit? Ego conſtanter affirmo, jus hoc ad ſolos pertinuiſſe homines, neque illud ullam ratione bonorum vel locorum feciſſe mutationem, adeo, ut integrum permanſerit illud diſcrimen, quod tunc ſolum obtinebat, inter loca juris Italici & provincialis. Hinc valde errant, qui hac in re aliquid per illam conſtitutionem mutatum fuiſſe putant. Fiebant quidem, ut hoc declarationis gratia addam, omnes in orbe Romano homines per communicatum jus civitatis habiles ſimul ad plenum juris civilis dominium adquirendum: non vero omnia prædia ſimul ejus naturæ fiebant, ut in pleno juris civilis dominio eſſe potuerint. Differebat ergo adhuc dominium civium Romanorum pro diverſa bonorum ratione, quæ poſſidebant. Hæc omnia, quæ hactenus diſputavi, in ſequentibus nobis uſui eſſe poſſunt, ergo hoc loco generalia iſta proponere volui.

Antequam vero ulterius pergo, monere etiam 29.
hoc loco volo, in adquirenda civitate Romana fuiſſe aliquam differentiam inter Ægyptios & cæteros peregrinos, quam optime diſcere poſſumus ex Plinio *Epiſtol. lib.* X. *Ep.* 22. & 23. Nimirum Ægyptii non poterant impetrare civitatem Ro-

Romanam, niſi prius impetraſſent civitatem Alexandrinam. Nam Alexandrinis non erat prohibitum, ut cives Romani fierent: Ægyptiis vero cæteris expreſſe & abſolute hoc ab Auguſto fuit prohibitum. Ergo Ægyptiis non alia via patebat ad civitatem Romanam, quam mediante civitate Alexandrina, a qua per nullam legem arcebantur. Ex quo tamen perſpicere poſſumus, non recte tradere *Ezech. Spanhemium* in *Orbe Rom. Exerc.* I. *cap.* 13. Ægyptiis etiam Alexandrinam civitatem abſolute interdictam fuiſſe. Non facile quidem impetrabant civitatem Alexandrinam, & non niſi ab ipſo Imperatore: poterant tamen eam impetrare a Principe. Aſt Romanam civitatem ne a Principe quidem impetrare poterant, niſi ab eo prius impetraſſent civitatem Alexandrinam, ob conſtitutionem ſcilicet Auguſti, a qua recedere religioni ſibi ducebant Principes ejus ſucceſſores. Quomodo vero hujus prohibitionis cauſa eſſe potuerit ſuperſtitio illa Romanorum, de qua B. *Joh. Gottl. Heineccius* in *Præfat.* ad *Spanhemii Orb. Rom.* diſſerit, ego nondum comprehendere poſſum. Cavebant enim Romani tantum, ne faſces & prætexta in Ægyptum venirent: aſt quis unquam dixit, omnes cives Romanos fuiſſe prætextatos: ergo genuinam adhuc hujus prohibitionis cauſam quæro.

30. Poſſent quidem hæc de modis adquirendi civitatem Romanam generalibus ſufficere: ſed quædam tamen adhuc quæſtiones reſtant, quæ partim ob difficultates, quibus laborant, partim ob quorundam eruditorum hallucinationes breviter tractari merentur. Prima queſtio erit, num etiam per cenſum jus civitatis Romanæ adquiri potuerit?

rit? vel, quod idem eſt, num cenſores quoque eam habuerint poteſtatem, ut peregrinum per receptionem in cenſum, ſive ſcientes, ſive ignorantes, civem efficere potuerint? Ego audacter reſpondeo, quod non: & 1) primo quidem ob locum expreſſum Ciceronis. qui in elegantiſſima oratione *pro Archia*, (id eſt in propria hujus doctrinæ ſede) *cap.* 5. ita loquitur: *Sed quoniam cenſus non jus civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui ſit cenſus, ſe jam tum geſſiſſe pro cive.* Neque cum quibusdam credendum, hoc Ciceronem, ut cauſæ tantum ſuæ inſerviret, dixiſſe: non enim ita modo ac de jure certo pronuntiat: verum etiam ne cauſæ ſuæ quidem hoc loco inſervit, quia neque ipſe, neque adverſarius, ex cenſu pro civitate argumentum ducebant: (non enim erat in quæſtione utrum civitas per cenſum adquiri potuerit) ſed refellit tantum Cicero adverſarium, qui ex eo, quod Archias non ſit cenſus, eum quoque civem non eſſe, probare voluerat, & ita quidem, ut primo oſtendat, cur Archias non ſit in cenſum relatus, (ob abſentiam ſcilicet reipublicæ cauſa) deinde vero dicat, ſe idem illud, quod alias ex cenſu recte probatur, aliquem ſcilicet ſe pro cive geſſiſſe, alia etiam ratione probare poſſe. Ad hunc itaque 31.
locum recte intelligendum ſciendum eſt, cenſores neminem, niſi civem, ſcientes in cenſum vel recepiſſe, vel ſaltem recipere debuiſſe, adeoque neceſſe fuiſſe, ut is, qui in cenſum nomen ſuum deferret, ſe publice pro cive gereret, ac pro tali ab omnibus haberetur. Præſumtio igitur quædam civitatis ex cenſu omnino oriebatur, quæ tamen probationem in contrarium admittebat. Omnes contra, qui revera cives erat, nomen

ſuum utique in cenſum deferre tenebantur, niſi ſe graviſſimæ pœnæ ſubjicere mallent, ut ſcilicet virgis publice cæſi tanquam ſervi venumdarentur. (Vid. DIONYSIUS HALICARN. *lib.* IV. *pag.* 221. LIVIUS *lib.* I. *cap.* 44. CICERO *pro Cæcinna cap.* 34. aliique multi.) Hæc tamen pœna ſine dubio iis tantum impoſita fuit, qui dolo malo cenſum ſubterfugerant: non vero ad eos pertinuit, qui ex juſta cauſa abſentes nomen in cenſum Romæ (ubi cenſus tantum fiebat, ut colligitur ex CICERONIS *Proœm. Act. in Verr. cap.* 18. & ASCONII PEDIANI *Comment.* ad *h. l. pag.* 63. ex GELLIO *Noct. Att. lib.* V. *cap.* 19. & VELLEJO PATERCULO *lib.* II. *cap.* 15.) deferre non potuerunt, ut e. g. Archias. Hinc ab eo uſque tempore, quo prolatis imperii finibus, multi ſemper Romani ob varia negotia in remotis provinciis verſarentur, multos quoque cives incenſos manſiſſe, vere omnino & eleganter obſervavit vir, dum viveret, harum rerum peritiſſimus, *Jacobus Perizonius* in *Diſſertatione de lege Voconia*, *pag.* 183. ſeqq. in *Diſſertt. Triade*, & *pag* 208. *ſeqq.* in *Diſſertt. Septem. edit. Lugd. Bat.* 1740. id quod ipſo quoque hoc Archiæ exemplo confirmavit. Sed hac de re alio loco pluribus erit diſſerendum. Ex hiſce vero, quæ hactenus expoſui, tum ſenſus hujus loci obſcuri, tum Ciceronem recte ratiocinatum fuiſſe, abunde, ut ſpero, apparebit.

32. 2) Deinde non poteſt quoque demonſtrari, Cenſoribus eam competiiſſe poteſtatem, ut jus civitatis alicui impertirentur: hoc enim ad populum tantum, non ad magiſtratus pertinuit, ut ſupra jam a me fuit oſtenſum. Obſtare quidem videtur VELLEJUS PATERCULUS *lib.* I. *cap.* 14. qui

qui teſtatur, Acerranis a Cenſoribus civitatem datam fuiſſe: ſed vel particula *a* delenda, vel Vellejum erraſſe pronunciandum eſt. Acerranos enim non a Cenſoribus, ſed per legem a L. Papirio Prætore latam, cives factos fuiſſe, diſertis verbis narrat Livius *lib.* VIII. *cap.* 17. Fuit quidem aliquando in Cenſorum arbitrio poſitum, in qua tribu novos cives cenſere vellent, quippe qui & novas tribus addere poterant: (Vid. Livius *l. c.*) ſed exinde minime ſequitur, eos ipſum civitatis jus concedere potuiſſe. Immo ſæpe populus quoque jubebat, in qua tribu novi cives eſſent cenſendi (Vid. Livius *lib.* XXXVIII.
cap. 36.) 3) Hinc peregrinos quoque, ſi falſo 33.
nomen ſuum in tabulas cenſuales, tanquam cives, profeſſi fuerant, re comperta, ex civitate rurſus ejectos fuiſſe, ſæpenumero legimus. (Vid. Livius *lib.* XXXIX. *cap.* 3. & *lib.* XLI. *cap.* 8. Cicero *pro Balbo*, *cap.* 2. Adde L. 6. *pr.* D. *ad municipal.*) Maxime ergo fallitur *Carolus Sigonius lib.* I. *de Antiquo jure Civium Romanorum*, *cap.* 14. *pag.* 154. Tom. V. *Opp.* (*pag.* 109. *Tom.* I. *Theſ. Antiqq. Grævii*) dum ita pronuntiat: *Non ſolum cives omnes cenſeri conſueviſſe, ſed etiam ſi quis, qui non eſſet civis, nomen ſuum clam in cenſorias tabulas referendum curaſſet, ea re civitatem adeptum eſſe comperio.* Adducit quidem, ad hanc ſententiam probandam, locum Ciceronis *pro Sextio*, *cap.* 33. ſed in illo non de tabulis cenſoriis ſermonem eſſe, vel mediocriter doctus facile perſpicere poterit. Verum Sigonium jam docte & ſolide refutavit V. *Cl. Joh. Madernus* in *notis* ſuis ad *h. l.* ut nihil addi neceſſe ſit. Recte vero *Paſſeratius* in *notis* ad Ciceronem *pro Archia*, *cap.* 5. *pag.* 302. *ed. Grævii*, inquit: *ſi quis irrepſit in cen-*

ſum, licet ante pro cive ſe geret, non ideo civis eſt. Dum vero addit: *ſed ſi magiſtratum geſſit, eo jus civitatis confirmatur*: omnino in errore verſatur maximo. Neque id probant exempla, quæ adducit, Perpernæ & Barbarii Philippi: licet enim acta eorum rata eſſent ob communem utilitatem, illi tamen propterea non fiebant cives ob geſtum magiſtratum, ſed potuiſſent in priorem ſtatum
34. revocari. 4) Neque etiam obſtat, quod ſervi, ſciente domino in cenſum relati, eo modo non tantum libertatem, ſed & civitatem adquirerent. Hoc enim non ad poteſtatem cenſorum ſed dominorum; non ad jus cenſus, ſed manumiſſionis pertinebat. Servi enim ideo non fiebant cives, quod a cenſoribus in cenſum fuiſſent relati: (ſic enim cives quoque facti eſſent, ſi inſciente domino, aut aliquo juris impedimento, vel a parte domini, vel a parte ſervi obſtante, in cenſum fuiſſent relati: id quod tamen nemo facile affirmabit) ſed ideo, quia cenſus ex Servii Tullii inſtituto unus erat ex juſtis manumittendi modis, per quem non tantum libertas, ſed & civitas a ſervis adquirebatur, ut ſupra traditum eſt. Hoc ergo
35. non ad liberos homines eſt extendendum. 5) Poſſet quidem aliquis cogitare, ſub Imperatoribus ſaltem, qui & ipſi erant cenſores, & jus civitatis poterant largiri, cenſum jus civitatis conferre potuiſſe. Sed ne tunc quidem cenſus dabat jus civitatis: ſi enim pergrinus inſciente Principe in cenſum irreperet, ſine dubio, re cognita, pro jure civitatis pœna potius afficiebatur: ſin vero ſciente & volente Principe nomen ejus in cenſum inter cives reciperetur, tunc magis beneficio Principis, quam per ipſum cenſum civitatem accipiebat. Maneat igitur, quod initio di-

xi,

xi, fixum atque firmum, per ipſum cenſum neminem adquirere potuiſſe jus civitatis Romanæ: quemadmodum etiam nemo per delationem in cenſum dominus earum rerum, quas profeſſus erat, efficiebatur. (Vid. Cicero *pro Flacco*, *cap.* 32. & L. 64. D. *de adquir. rer. dom.*)

Altera quæſtio eſt, num Adoptio fuerit modus 36.
adquirendi civitatem Romanam. Per adoptionem ſane jus municipale adquiri potuiſſe, patet ex L. 1. *pr.* D. *ad municipal.* & L. 7. C. *de incolis.* Sed inter ipſa municipia erat juris civilis communio: hinc municeps ex alieno municipio adoptare quendam poterat, ita, ut adoptatus per adoptionem jus municipale ejus municipii, cujus pater adoptans civis erat, adquireret, retento tamen etiam jure municipali originario. (Conf. *Petri Ponceti Tract. de Civibus & Municip.* §. 3. *pag.* 375. *ſeq. ed. Francof.* 1671.) Inter cives vero Romanos & peregrinos nulla erat juris civilis communio: & hinc nemo civis Romanus peregrinum adoptare, vel arrogare poterat. Qui ergo rite vel adoptabatur, vel arrogabatur, jam antea juris civitatis Romanæ particeps eſſe debebat, adeoque non per adoptionem demum ipſam civitatem Romanam nanciſcebatur. Recte ergo adoptio dici poteſt modus adquirendi tam jura familiæ, quam jura municipalia: non vero modus adquirendi civitatem Romanam. Quod de 37.
Adoptione dixi, id de Legitimatione pariter eſt dicendum: nam & hæc non pro modo adquirendi civitatem Romanam eſt habenda, quia ille, qui per legitimationem in patriam redigebatur poteſtatem, jam antea civitatis Romanæ particeps eſſe debebat. Eam tamen, æque ac adoptionem, jus municipale tribuiſſe non dubito. Eo- 38.
dem

dem etiam modo de juſtis nuptiis eſt pronunciandum, ſi quis quæreret, num per illas civitas Romana adquiri potuerit? Nam juſtæ nuptiæ locum non habebant, niſi inter tales perſonas, quæ jure civitatis jam antea fruebantur, etiam poſt Conſtitutionem Antonini Caracallæ. Id tamen inprimis hoc loco obſervandum eſt, ſi per errorem inter diverſæ conditionis perſonas matrimonium initum fuerit, cauſa probata, in favorem matrimonii, jus civitatis Romanæ tribui ſolitum fuiſſe non tantum conjugi peregrinæ conditionis, ſed etiam liberis ex iſto matrimonio natis, idque ex lege Ælia Sentia: *cap.* IV. juxta *Heineccium.*) qua de re legi poteſt ULPIANUS *Fragm. tit.* VII. §. 4. Sed & ſic non tam per ipſum matrimonium, quam legis potius beneficio, civitas adquirebatur. [Obiter noto, quæſtionem eſſe adhuc dubiam inter ICtos, num mulier per nuptias jus municipale mariti, an tantum domicilium adquiſiverit? ego poſterius affirmo *arg.* L. *ult.* §. 3. D. *ad municipal.* & L. 4. C. *de municip.* & *origin.* Conf. *Petri Ponceti Tract. de Civib. & Municip.* §. 6. p. 389. *ed. Francof.* 1671.

39. Majorem dubitationem habere videtur, quam nunc tertio loco proponere volo, quæſtio, num domicilium tribuerit civitatem Romanam? Illud quidem certum eſt, veteri jure neminem per ſolum domicilium, ne in ipſa quidem urbe Roma, adquirere potuiſſe civitatem Romanam. Omnis vero dubitatio oritur ex notiſſima illa Antonini Caracallæ Conſtitutione, qua cum omnibus in orbe Romano ingenuis civitas communicata fuit. Jam enim quæritur, utrum ex iſta lege omnes peregrini, (ingenui ſcilicet) qui domicilium (non temporarium, ſed perpetuum) in orbem Ro-

Romanum collocarunt, ſtatim jus quoque civitatis conſecuti fuerint. Ego hanc quæſtionem priori anno in *Bibliotheca Miſcellanea Hamburgenſi* propoſui, ſed nullam ſufficientem a quoquam accepi reſponſionem. Nondum ergo certi quicquam pronunciare audeo, ſed peritorum judicium adhuc exſpecto. Interim mihi tamen veroſimile fit, etiam poſt Conſtitutionem laudatam neceſſe fuiſſe, ut quis ſolenni modo in civium numerum reciperetur. De jure municipali certum eſt, (ut hoc obiter addam) domicilium incolam, non municipem effeciſſe.

Quarto quæritur, utrum ſi Princeps peregrino 40.
cuidam jus togæ gerendæ conceſſerit, hic ſimul quoque acceperit jus civitatis Romanæ? Videtur hoc quidem ſuadere L. 32. D. *de jure fiſci.* Ego tamen dicere malo, togæ jus fuiſſe ſignum tantum civitatis Romanæ, & hinc ICtos concluſiſſe, Principem, quando alicui togæ jus conceſſit, eo ipſo voluiſſe quoque jus civitatis Romanæ concedere. Non ergo jus togæ, ſed voluntas Principis tribuebat jus civitatis. Vide interim de hoc togæ jure B. *Briſſonium Select. ex jure civili Antiqq. lib.* I. *cap.* 13. (ex quo ſua, non laudato, ut plerumque ſolet, auctore, hauſit *Dionyſius Gothofredus* in *notis ad l. all.*) & *Ezech. Spanhemium* in *Orbe Rom. Exerc.* II. *cap.* 6. *pag.* 164. *ſeqq.*

Porro quinta quæſtio erit, utrum quis per ſen- 41.
tentiam judicis civis Romanus fieri potuerit? Reſpondeo, proprie quidem judicis ſententiam non feciſſe, ſed declaraſſe tantum civem. Quia tamen res judicata pro veritate habebatur, & reipublicæ intereſt, ne temere res judicatæ convellantur, puto omnino, eum, qui civis in judicio legi-

legitimo, ubi juſtus adfuit contradictor, fuit pronunciatus, deinceps pro cive ſine controverſia ſemper fuiſſe habitum, exemplo ejus, qui liber, vel ingenuus in judicio fuit pronuntiatus. (L. 25. D. *de ſtatu hom.* L. 3. D. *de colluſ. deteg.*) Idque non tantum de peregrino, ſed & de ſervo, qui judicio legitimo civis declaratus eſt, intelligi volo, dummodo verus dominus contradictor adfuerit. (L. 4. L. 27. C. *de liberali cauſa.*) ſi enim contradictor non fuit verus dominus, id vero domino ſupervenienti deinceps non poteſt nocere, quo minus de integro ſervum ſuum vindicare poſſit. Neque etiam valorem habet judicium, ſi per colluſionem factum fuerit, niſi poſt quinquennium. (Vide *tit.* D. & C. *de colluſione detegenda.*)

42. Denique ſexto loco quæritur, utrum quis per præſcriptionem jura quoque civitatis Romanæ adquirere potuerit? Ego tres hactenus modos reperi, quibus per præſcriptionem jus civitatis Romanæ adquiri potuerit. 1) Si ſervi bona fide in poſſeſſione libertatis per viginti annorum ſpatium ſine interpellatione morati eſſent, tunc in favorem libertatis non tantum liberi, ſed & cives Romani fiebant, juxta L. 2. C. *de longi temp. præſcript. quæ pro libert.* [Præſcriptionis ſedecim annorum mentio fit in L. 3. C. *Theod. de liberali cauſa, lib.* IV. *tit.* 8. quod quomodo cum noſtra lege ſit conciliandum, aliis excutiendum relinquo. *Jacobi Gothofredi* cogitationes, quæ ibi in *Commentario* legi poſſunt, mihi non ſatisfaciunt, neque tamen melius quicquam in præſenti afferre poſſum. Sic etiam pro certo affirmare non audeo, num hæc lex ad peregrinos quoque, qui ſe bona fide pro civibus geſſerunt, applicari poſſit, ſed

ſed hoc æque peritioribus dijudicandum relinquo.] 2) Si judicium præceſſerit colluſorium. & intra quinquennium colluſio non fuerit detecta, tunc omnino res judicata pro veritate haberi debeat, juxta L. 2. D. *de colluſ. deteg.* 3) Si poſt obitum alicujus intra quinquennium nulla defuncto ſtatus controverſia mota fuerit; tunc poſt quinquennium mortuus in deteriorem ſtatum adſeri amplius haud poterat; bene tamen in meliorem. (Vide *tit.* D. & C. *ne de ſtatu defunct. poſt quinquennium quæratur.*).

His itaque quæſtionibus, cum modis adquirendi civitatem generalibus, excuſſis: jam monere quoque debeo, fuiſſe etiam quosdam modos ſpeciales, per quos ſoli Latini civitatem Romanam ipſo jure conſequi poterant. Quum enim Latini civium Romanorum conditioni jam propius accederent, quam cæteri peregrini: æquum quoque erat, illos ad jura civitatis Romanæ facilius, quam alios, aſcendere potuiſſe. Sed hic ante omnia diſtinguendum eſt, inter Latinos veteres, inter Latinos colonarios, & inter Latinos Junianos. 43.

Quod primum ad Latinos veteres (ante communicatam ſcilicet per legem Juliam cum omnibus Latii & Italiæ incolis civitatem Romanam) attinet, illi duplici modo ipſo jure ad jus civitatis Romanæ pervenire poterant. Nam primo ex ſingulari lege omnes ii cives fiebant, qui ex Latio, ſtirpe domi relicta, Romam commigrabant. (Vid. Livius *lib.* XLI. *cap.* 8.) Secundo ex lege quoque Servilia repetundarum Latini cives Romani fieri poterant per accuſationem, ſi ſcilicet civem Romanum ex dicta lege ob crimen repetundarum accuſaſſent, iſque etiam eſſet condem- 44.

demnatus, ut luculenter docet CICERO in *Orat. pro Balbo, cap.* 23. *ſeq.*

45. Deinde fuit quoque Latinis colonariis peculiaris modus ad civitatem Romanam perveniendi, per geſtum nimirum in patria ſua magiſtratum. Id enim Latinis colonariis tanquam ſingulare datum fuit privilegium, ut omnes illi, qui in colonia ſua, jure Latii gaudente, magiſtratum geſſerunt, ipſo jure exinde fierent cives Romani. Vid. APPIANUS de *Bell. Civil. lib.* II. *pag.* 443. STRABO *Geograph. lib.* IV. *pag.* 187. ASCONIUS PEDIANUS ad *Orat. Ciceronis in Piſon. pag.* 156. ubi tamen pro *petendi* legendum *geſti.*) Quod beneficium fortaſſis & ad alia oppida in provinciis, jure Latii donata, licet non eſſent coloniæ, extenſum fuit. Hocce jus tempore adhuc Antonini Pii viguiſſe, patet ex Inſcriptione quadam apud *Gruterum, pag.* 408. *n.* 11. hinc ſine dubio ad Antoninum uſque Caracallam permanſit, per cujus Conſtitutionem notiſſimam beneficium hoc inutile factum fuit. (Confer interim de eo V. *Ampliſſ. Everh. Ottonis librum de Ædil. Colon. & Municip. cap.* 13. §. 3. *Ezech. Spanhemii Orbem Rom. Exerc.* I. *cap.* 8. *Car. Sigonii notas ad Aſconium Ped. p. m.* 281.)

46. Denique ULPIANUS in *Fragm. tit.* III. varios enumerat modos, per quos Latini ad civitatem Romanam, ſive ad jus Quiritium, (ut accurate ibi loquitur Ulpianus, quemadmodum ſequenti capite illud explicabitur) pervenire poterant. Ubi ante omnia quærendum eſt, de quibusnam Latinis hoc loco ULPIANUS loquatur? Erant enim, ut notum eſt, eo tempore duplicis generis Latini, Colonarii ſcilicet (ſub quibus ſenſu lato & aliorum Latinorum oppidorum cives comprehen-

hendo) & Juniani. (Ita non tantum ipſi liberti Latinæ conditionis, ſed & poſteri eorum, qui in eadem manebant conditione, vocabantur) Vulgo eruditi exiſtimant, Ulpianum de ſolis Latinis Junianis hoc loco ſermonem facere. Et ſunt quidem, fateor, inter hoſce modos quidam, qui ad ſolos Latinos Junianos applicari poſſunt, nempe qui §. 3. & 4. proponuntur: ſed exinde non ſequitur, cæteros quoque modos ad ſolos Latinos Junianos pertinuiſſe, quum illi æque commode ad Latinos colonarios applicari queant. Ulpianus ſane, dum generatim de Latinis loquitur, judicare mihi videtur, ſe de utriuſque generis Latinis intelligi velle, quatenus ſcilicet modi utriuſque generis Latinis convenire poſſunt. Sic etiam, ut infra indicabo, Suetonius ſignificare videtur, modum illum, qui §. 6. ab Ulpiano enarratur, ad utriuſque generis Latinos pertinuiſſe. Neque ego rationem video, cur non hi ſcriptores ſpecificam Junianorum appellationem appoſſuerint, ſi de hiſce ſolis voluiſſent intelligi. Poſſet quidem objici, reipublicæ Romanæ magis interfuiſſe, ut Latini Juniani, quam colonarii, ad jura civium Romanorum perducerentur: ſed probabile tamen etiam eſt, Imperatores benevolentiam quoque ſuam colonariis teſtatam facere voluiſſe, maxime, ſi & hi aliquid facerent, quod ad commodum & ornamentum reipublicæ & ipſius urbis Romæ pertineret. Mihi ergo ea ſedet ſententia, quoſdam modos ad utriuſque generis Latinos pertinuiſſe, quoſdam vero ad ſolos Junianos, ut in ſequentibus ſpecialius indicabo. Quicquid vero hujus 47.
ſit, id interim certum eſt, Beneficium Principis (de quo §. 2. hujus *tit.*) fuiſſe modum gene-

raliſſimum perveniendi ad jus civitatis Romanæ: adeoque eum non pertinuiſſe ad ſolos Latinos, ſed & ad omnes peregrinos, ut ex antecedentibus patet. Hunc ergo modum nos hoc loco ſecure transmittimus, quum de eo ſupra actum, & nunc illi tantum exponendi modi ſint, quibus ſoli Latini, & ipſo quidem jure, ſine ſpeciali Principis conceſſione, jura civitatis Romanæ conſequi poterant. Non tamen propterea Ulpianus eſt culpandus, quippe qui extra ſyſtema omnes hic modos enarrare voluit, quibus Latini jura Quiritium conſequi poterant. Cæterum dictum §. 2. ubi de hoc modo agitur, accuratius explicabimus, & a tautologia liberabimus capite ſequenti. Jam ergo, ductu ULPIANI, ipſi enarrandi veniunt modi, quibus Latini ipſo jure, ſine ſpeciali Principis conceſſione, jura Quiritium poterant impetrare. Inter hos, ut jam dixi, ſunt quidam, qui ad ſolos Latinos Junianos pertinent: quidam vero, qui ſimul quoque ad Latinos colonarios pertinere poſſunt.

48. Inter prioris generis modos primus ita deſcribitur ab ULPIANO dicto *tit.* III. §. 3. *Liberis jus Quiritium conſequitur Latinus, qui minor triginta annorum manumiſſionis tempore fuit: nam lege Junia cautum eſt, ut ſi civem Romanam, vel Latinam uxorem duxerit, teſtatione interpoſita, quod liberorum quærendorum cauſa uxorem duxerit; poſtea filio filiave, nato natave, & anniculo facto, poſſit apud Prætorem, vel Præſidem provinciæ cauſam probare, & fieri civis Romanus, tam ipſe, quam filius, filiave ejus, & uxor, ſcilicet ſi & ipſa Latina ſit: nam ſi uxor civis Romana ſit, partus quoque civis Romanus eſt, ex Senatusconſulto, quod auctore Divo Adriano factum eſt.* Ad hæc verba recte intelligenda ſciendum eſt

eſt, inter impedimenta manumiſſionis, quæ efficiebant, quo minus ſervus ad juſtam libertatem pervenire potuerit, fuiſſe etiam ætatem ſervi. Lege enim Ælia Sentia (*capite ſecundo*, ex mente *Heineccii*) cautum fuit, ne ſervus ante trigeſimum ætatis annum impletum aliter manumitteretur, niſi cauſa apud conſilium probata. Vix enim ſervum ordinarie ante iſtum ætatis annum dignum tanti beneficii, ut ſcilicet civis Romanus fieret, exiſtimabat Auguſtus. Si tamen minor triginta annorum a domino teſtamento eſſet manumiſſus, tunc eum in libertate morari ſinebat lex iſta. (*Capite tertio*, juxta ordinationem *Heineccii.*) De minore triginta annorum inter vivos, ſine cauſæ apud conſilium probatione, manumiſſo, nihil cautum erat in lege: hinc ICti concludebant, talem manumiſſionem, utpote directe contra legem, ipſo jure plane nullam eſſe Quum ergo poſtea lex Junia Norbana illos, quos lex Ælia Sentia in libertate morari ſinebat, Latinæ conditionis eſſe juberet, exinde ICti concluſerunt, minores triginta annorum in teſtamento manumiſſos fieri Latinos; inter vivos vero quocunque modo, extra cauſæ apud conſilium probatione, manumiſſos ſervos adhuc manere. (Vid. Ulpianus *Fragm. tit.* I. §. 12.) Hocce ergo, de quo nunc dicendum, privilegium, ut Latinus ſcilicet liberis jus Quiritium conſequi poſſet, ad eos ſolos pertinebat, qui minores triginta annorum in teſtamento erant manumiſſi, ut recte jam ad *b. l.* notavit B. *Schultingius* in *Juriſpr. Antejuſt. pag.* 574. qui recte quoque contra M. *Vertranium Maurum* monuit, hocce beneficium non fuiſſe Senatusconſulto Largiano ad alias ſpecies extenſum. Alio tamen

E 2 incer-

incerti nominis & temporis Senatusconſulto applicatum fuit ad ſervos majores triginta annorum inter vivos ſolenniter manumiſſos, qua de re in ſequentibus erit dicendum. Non vero hoc legis beneficium pertinuit ad ſtatu liberos, ut putavit doctiſſimus *Heineccius* in *Comment.* ad L. *Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 9. *pag.* 223. Statu liberi enim, pendente interim conditione, erant ſervi, adeoque ne matrimonium quidem juris gentium inire poterant, ut lex requirit; quæ præterea etiam de ſolis tantum loquitur La-
49. tinis, & nullam admittit extenſionem. Cauſa hujus benificii generalis quidem eſt favor liberorum, ut ſcilicet ſobolis procreatio promoveretur; ſpecialis vero, cur nempe lex ſolis illis, qui minores triginta annorum teſtamento manumiſſi erant, hoc beneficium indulſerit, erat, partim quia hi non facile alia ratione ad jura Quiritium pervenire poterant, quum alii Latini per novum ipſius patroni beneficium illa facile poſſent impetrare: partim etiam quia hac ratione nemini fiebat injuria, quum patronus eorum jam eſſet mortuus: aliis vero invitis patronis jura Quiritium
50. donare non ita æquum videbatur. Sed quærendum jam eſt, quænam lex hocce jus ſingulare introduxerit? ULPIANUS, juxta conſtantem *Codd. MSS.* lectionem, illud legi Juniæ (Norbanæ ſcilicet) adſcribit. *Petrus Pithoeus* in notis ad *Collationem legum Moſaicarum & Romanarum*, *tit.* XVI. §. 6. *pag.* 798. in *Juriſpr. Antejuſt.* putat quidem ob L. 132. & 134. D. *de* V. S. hac de re in lege potius Julia & Papia Poppæa actum fuiſſe: ſed lectionem *Codd.* MSS. non eſſe temere ſollicitandam, & in utraque lege ea de re, diverſa tamen ratione, agi potuiſſe monent *Schultingius*

tingius ad noſtrum Ulpiani locum, *pag.* 574. *Jacobus Gothofredus* & *Joh. Gott. Heineccius* in *Commentariis* ſuis ad L. *Jul. & Pap. Popp.* Hic tamen viri docti non una eademque ratione rem componere voluerunt. Vid. *Jac. Gothofredus Comment.* ad dictam legem, *cap.* 9. & *Heineccii Comment.* ad L. eandem *lib.* II. *cap.* 9.) Recte monet Heineccius, legem Papiam Poppæam non agere potuiſſe de Latinis Junianis, utpote poſt illam legem demum introductis: hinc acute conjicit, legem Papiam Poppæam ſimile aliquid de Latinis colonariis ſtatuiſſe, id vero poſtea per legem Juniam Norbanam ad Latinos quoque Junianos fuiſſe tranſlatum. Vellem, ut unicum modo adeſſet veteris ſcriptoris teſtimonium, ex quo clarius perſpicere poſſemus, Latinos colonarios hujusmodi habuiſſe privilegium: ſic enim jam novum modum haberemus, quo Latini colonarii poſſent ad civitatem Romanam pervenire. Nunc vero altum hac de re eſt apud veteres ſilentium. Sane, ut mihi omnino probabile ſit, ſi Latini colonarii ſimili aliquo cum Junianis beneficio hac in re gaviſi fuiſſent, Ulpianus ſine dubio hoc non prætermiſeſſet. Neque etiam ullum exſtat veſtigium, privilegium illud veterum Latinorum, de quo ſupra ex Livio *lib.* XLI. *cap.* 8. diximus, ad colonarios poſtea fuiſſe applicatum. Manet ergo omnino incertum, an hac de re aliquid in lege Papia Poppæa cautum fuerit. Ex ſola ſane *anniculi* explicatione, quam Paullus *lib.* II. *ad legem Pap. Popp.* juxta inſcriptionem L. 134. D. *de* V. S. dedit, id minus firmiter concludi poſſe cenſeo: poteſt enim alia occaſio, nobis incognita fuiſſe, cur ibi Paullus hoc vocabulum explicaret. Poſſet etiam aliquis

ſuſpicari, legem Papiam Poppæam ſimile aliquod privilegium impertiiſſe iis, qui juxta legem Æliam Sentiam in libertate tantum morabantur: nam nominatim aliquid de Latinis in iſta lege cautum fuiſſe, ex nullo indicio apparet. Ut tamen libere dicam, quod ſentio, mihi omnino veroſimile ſit, L. 134. (ut & L. 137.) D. *de* V. S. non ex *lib.* II. *Commentariorum* Paulli *ad* L. *Pap. Popp.* ſed potius ex *lib.* III. (ex quo L. 132. *b. 1.*) deſumtam fuiſſe, adeoque hanc L. 134. ad idem caput legis Papiæ Poppææ pertinere, ad quod legem 132. *b 1.* doctiſſimus *Heineccius* retulit. Cauſa hujus meæ ſuſpicionis eſt, quod Tribonianus in legibus excerpendis non facile, in hoc præſertim Titulo, (ubi ſcilicet illum nulla ordinis ratio, ut ſæpe in aliis titulis, cogebat) ordine retrogrado ſoleat procedere, ſed quod ut plurimum ordinem librorum veterum ICtorum ſequatur. Quum ergo jam L. 132. ex *lib.* III. *Comment.* Paulli excerpſerit, nullam video rationem, cur poſtea L. 134. deſumſerit ex *lib.* II. *Comment.* Paulli. Sane ſi L. 134. eſſet ex *lib.* II; L. vero 132. ex *lib.* III. Paulli: ſine dubio L. 134. præpoſuiſſet *Legi* 132. quum id & conſuetudini ſuæ, & naturali quoque ordini magis conveniret. Sed hoc aliis dijudicandum relinquo. Id interim certum eſſe videtur, modum huncce, quo Latini Juniani ad jura Quiritium pervenire poterant, originem habuiſſe ex lege
51. Junia Norbana. Jam paullo accuratius videbimus requiſita, quæ in ipſa lege requirebantur, ut Latinus Junianus, qui minor triginta annorum in teſtamento manumiſſus erat, jura Quiritium conſequeretur. 1) Requirebatur matrimonium juris gentium, ut recte annotavit B. *Heineccius*

cius

cius loco laudato *pag.* 223. Perinde vero erat, ſive Latinus civem Romanam, ſive Latinam uxorem duceret. Neque etiam dubito, quin perinde fuerit, ſive Latina illa libertina, ſive ingenua, ſive Juniana, ſive colonaria eſſet: ut adeo, quoad ſequioris ſexus perſonas, hic quoque modus generalis fuerit, & ad omnes Latinas cujuſcunque conditionis pertinuerit. Quum tamen privilegia ſtrictæ ſint interpretationis, ex verbis Ulpiani concludimus: (1) Latinum non aliam peregrinam ducere debuiſſe, ſi hoc beneficio uti vellet: (2) Legem primario ad maſculum pertinuiſſe; fœminam vero per maritum hic tantum jura Quiritium impetraſſe: adeoque e contrario non pertinuiſſe legem ad Latinæ conditionis mulierem, ſi illa cum cive Romano matrimonium iniret. 2) Neceſſe erat, ut teſtationem interponeret Latinus, ſe liberorum quærendorum cauſa uxorem duxiſſe fœminam illam, cum qua conſuetudinem habebat, ut ſcilicet conſtaret, eſſe hanc non illicitam, ſed licitam & ſecundum jus naturæ juſtam conjunctionem: non vero, ut putat *Heineccius*, ne pro concubinatu haberetur: nam concubinatus proprie ſic dictus ad ſolas cives pertinebat Non præciſe vero hæc teſtatio ad acta fieri debebat, ut putavit M. *Vertranius Maurus*, eo nomine recte notatus à *Schultingio pag.* 575. *Juriſpr. Antejuſt.* Non abſolute quoque neceſſe erat, ut hæc teſtatio tabulis dotalibus infereretur, ut exiſtimaſſe videtur *Heineccius* licet illud frequenter uſitatum fuiſſe non negem: poterat enim apud teſtes viva etiam voce declarari, ut recte notat *Schultingius l. c.* Hoc vero nondum ſatis erat; ſed porro 3) requirebatur, ut ex iſto matrimonio filius filiave naſceretur,

tur, & 4) ut iſte partus non tantum eſſet vitalis, ſed & annum vivendo expleret, (is enim eſt anniculus) ita tamen, ut dies ultimus cœptus pro completo habeatur, ut latius explicavit ſæpe a nobis laudatus *Heineccius* loco indicato, *pag.* 219. *ſeq.* 5) Denique neceſſe quoque erat, ut apud Prætorem in urbe, vel apud Præſidem in provinciis cauſam probaret Latinus ille Junianus, ſe nimirum omnia juxta legem obſervaſſe. Et ſic demum ex lege Junia Norbana jura Quiritium conſequebatur, non tantum ipſe, ſed & uxor ejus, ſi eſſet Latina, & partus ex iſto matrimonio procreatus. Ubi tamen adhuc notandum eſt, poſt Senatusconſultum, tempore Adriani Imperatoris factum, partum non amplius legis Juniæ Norbanæ beneficio indiguiſſe, ſi mater eſſet civis Romana: quo de Senatusconſulto ſupra jam ſatis fuit dictum, ut nihil addi neceſſe ſit.

52. Hæc ſufficiant de hoc primo modo: ſequitur jam alter modus, quo juxta ULPIANUM Latini Juniani jura Quiritium conſequi poterant, qui ita ab eo §. 4. deſcribitur: *Iteratione fit civis Romanus, qui poſt Latinitatem, quam acceperat major triginta annorum, iterum juſte manumiſſus eſt ab eo, cujus ex jure Quiritium ſervus fuit. Sed huic conceſſum eſt, ex Senatusconſulto etiam liberis jus Quiritium conſequi.* Ad huncce locum recte intelligendum ante omnia requiritur, ut quid proprie fuerit Iteratio explicemus. Iteratio erat manumiſſionis minus ſolennis confirmatio per manumiſſionem ſolennem. Ergo requirebatur 1) ut prior manumiſſio non quidem plane nulla fuerit: alias enim poſterior juſta non vocaretur Iteratio, ſed nova manumiſſio: 2) ſed tamen ob defectum juſtarum ſolennitatum non plenum producere potuerit effectum: nam juſta & ſolennis manu-

miſſio

Digitized by Google

miſſio Iteratione non indigebat. Ex hiſce ſequitur, Iterationem locum tantum habuiſſe in ſervis, qui a domino juſte manumitti poterant, ſed minus ſolenniter tantum manumiſſi, & hinc juxta legem Juniam Norbanam Latini facti erant. Hi enim poſtea domini voluntate per Iterationem ad jura Quiritium perduci poterant. Rationem hujus rei reddit TACITUS *Annal. lib.* XIII. *cap.* 27. *Quin & manumittendi duas ſpecies inſtitutas, ut relinqueretur pœnitentiæ, aut novo beneficio locus.* Exemplum habemus apud PLINIUM *Epiſtoll. lib.* VII. *Epiſt.* 16.

Optime vero hoc ita expreſſit ULPIANUS ſecundum accuratam *Schultingii* interpunctionem: *Iteratione fit civis Romanus, qui poſt Latinitatem, quam acceperat major triginta annorum, iterum juſte manumiſſus eſt ab eo, cujus ex jure Quiritium ſervus fuit.* Poterat enim Iteratio non aliter locum habere, quam ſi ſervus, major triginta annorum, prius per minus ſolennem manumiſſionem Latinus factus erat. Nam minor triginta annorum inter vivos ſine cauſæ apud conſilium probatione manumiſſus, ſervus manebat: ergo poſtea non tam per iterationem, quam per novam potius manumiſſionem ſolennem jura civitatis impetrabat. Apud conſilium vero juſte manumiſſus ſtatim fiebat civis Romanus. In minore triginta annorum per teſtamentum manumiſſo locum quoque habere non poterat Iteratio, quia ille non amplius vivevat, qui ſolus Iterationem peragere potuiſſet. Hæredes enim Latinos per iterationem cives efficere non potuiſſe, perſpicue colligi poteſt ex PLINIO *Epiſtoll. lib.* X. *Ep.* 105. Cur enim ille a Principe petiiſſet, quod ipſe præſtare poſſet? Sola ergo illa ſpecies relinquebatur, ſi major triginta annorum minus ſolenniter eſſet

Digitized by Google

manumiſſus: hæc enim manumiſſio non erat plane nulla, ſed non alium tamen effectum in ſervo, quam Latinitatem, producere poterat, & hinc in haccę ſpecie iteratio utique locum habe-
53. bat. Falſum ergo eſt, quando in quibuſdam editionibus locus ita diſtinguitur, ut verba: ***major triginta annorum***, a præcedentibus ſeparentur, & cum ſequentibus conjungantur: minus accurata quoque eſt diſtinctio, quæ in aliis editionibus apparet, quando verba: *major triginta annorum*, inter duo commata ponuntur. Optime vero diſtinxit locum *Schultingius*, ut hæc verba cum antecedentibus cohæreant, a ſequentibus vero ſeparentur. Ex connexione enim §. 3. & 4. ſatis apparet, Ulpianum diſtinguere inter eos, qui minores triginta annorum; & eos, qui majores triginta annorum manumiſſi ſunt: de prioribus §. 3. de poſterioribus §. 4. agit. Ex quo etiam apparet, erraſſe veterem illum ICtum, cujus Fragmentum Græce & Latine edidit V. Cl. *Matthias Roüer*, quando §. 16. *pag.* 30. (§. 14. *pag.* 809. *ſeq. ed. Schultingii in Juriſpr. Antejuſt.* ubi verba mutila exſtant) ita ſcribit: Οὗτος δὲ ὁ ἐλευθερῶται εἰς φίλους, ὅσων ἂν ἴῃ ἐτῶν, Λατῖνος γίνεται· καὶ μόνον αὐτῷ τουτῳ προχωρεῖ ἐλευθερία, ἵνα μεταξὺ πάλιν δυνηθῇ ἐκ προσαγωγῆς ἢ διαθήκη ἐλευθερωθῆναι, καὶ πολίτης ῥωμαῖος γίνεσθαι. ***Is autem, qui manumittitur inter amicos, quotcumque ſit annorum, Latinus ſit; & ſolum ei hoc prodeſt libertas, ut poſtea iterum poſſit ex vindicta, vel teſtamento manumitti, & civis Romanus fieri.*** Licet enim jam locus nunc, ut eſt a *Cl. Röuero* ſuppletus, plenus & perſpicuus ſit: (ut dicit *Röuerus* in *notis*) continet tamen errorem manifeſtiſſimum, id quod doctiſſimum editorem non animadvertiſſe miror. Nam minor triginta an-

no-

norum inter amicos manumiſſus non fiebat Latinus, ſed manebat ſervus, (ut recte *Schultingius* notavit ad *Ulpianum l. c. pag.* 575) adeoque ne Iteratio quidem proprie in eo locum habebat, ut ex antea dictis elucet. Non accurate quoque loquitur doctiſſimus *Heineccius l. c. pag.* 224. quando ait: *Nam minores triginta annis inter vivos; ſed minus ſolenniter manumiſſi, iteratione aliiſque modis ſupra explicatis jura Quiritium conſequebantur.* Sed quia hæc cum iis pugnant, quæ ipſe paullo ante *pag.* 223. jam poſuerat, errorem potius operarum eſſe, quam ipſius hujus viri elegantiſſimi (cujus memoria omnibus, qui ſolidam jurisprudentiam amant, ſancta eſſe debet) credo, eumque potius ſcripſiſſe, aut ſaltem ſcribere voluiſſe: *Nam majores* &c. Sed pergo in ULPIANO explicando. Bene ille addit: *ab eo, cujus ex jure Quiritium ſervus fuit.* Nam qui ſervum in bonis tantum habebat, ille manumittendo non niſi Latinum facere poterat: (ut docet ULPIANUS *tit.* I. § 16.) ergò ne iteratione quidem civem poterat efficere. Poſſet quidem aliquis cogitare, annon iteratio locum habuiſſet, ſi quis ſervum, quem in bonis habuerat, manumittendo feciſſet Latinum, poſtea vero dominium Quiritarium nactus fuiſſet. Sed reſpondetur, hoc nullo modo potuiſſe contingere. Poſtquam enim dominus ſemel ſervum ex dominio & poſſeſſione dimiſerat, nulla poterat contingere ratione, ut poſtea dominium Quiritarium in iſtum nanciſceretur. Unde accurate loquitur ULPIANUS: *cujus ex jure Quiritium ſervus fuit*, nempe eo jam tempore, quum illum per manumiſſionem minus ſolennem Latinum faceret. Sic igitur talis Latinus jure civili per ſolam iterationem civis Romanus fieri pot-

54.

55.

poterat. Sed poſtea Senatusconſultum aliquod prodiit, (an Largianum ſit, quod putavit *Maurus*, incertum eſt, ut recte monet *Schultingius* ad *h. l. pag.* 576.) quo privilegium illud, quod Lex Junia Norbana tribuit libertis Latinis, qui minores triginta annorum in teſtamento manumiſſi erant, ad hoſce etiam fuit applicatum, ut indicat ULPIANUS ultimis hiſce hujus §. verbis: *Sed huic conceſſum eſt ex Senatusconſulto etiam liberis jus Quiritium conſequi.* Ratio, cur hiſce libertis Latinis, qui inter vivos majores triginta annorum manumiſſi erant, tardius hocce privilegium, quam illis indultum fuit, facile ex iis, quæ ſupra dixi, colligi poteſt. Nam hi facile per ipſum patronum cives fieri poterant: invito vero illo hoc iis concedere, vix æquum eſſe videbatur. Poſtea tamen utilitas reipublicæ, quæ per matrimoniorum frequentiam & ſobolis procreationem promovebatur, facile ſubegit Senatum, ut & hiſce Latinis hoc beneficium indulgeret, quum præſertim patroni ſæpe ante iterationem diem obirent ſupremum. Mihi tamen fit probabile, hoſce Latinos, vivente patrono, non niſi cum ejus conſenſu matrimonium inire potuiſſe. Licet enim liberti ejus nuptias libere contraherent, adeo, ut ne patronus quidem eis cœlibatus conditionem imponere poſſet ſecundum legem Æliam Sentiam: (Vid. *Heineccii Syntagma Antiqq. lib.* I. *tit.* 6. *pag.* 124. & *Comment.* ad L. *Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 16. §. 4. *pag.* 306. *ſeq.*) Non tamen hoc applicare audeo ad libertos Latinæ conditionis: ſed hoſce potius non niſi cum patroni conſenſu matrimonium inire potuiſſe credo.

56. Hactenus ergo de duobus illis modis actum fuit,

fuit, quibus ſoli Latini Juniani ad jus Quiritium pervenire poterant. Jam ſequuntur modi illi, quos non ad ſolos Junianos, ſed ſimul etiam ad Latinos colonarios, & ſi qui alii eſſent proprio quodam jure Latinitate donati, pertinuiſſe exiſtimo. Horum quinque ab Ulpiano enarrantur, quorum primus ad ſolos maſculos; tres ſequentes ad utriuſque ſexus perſonas; ultimus vero ad ſolas ſexus ſequioris perſonas pertinere poteſt. Videbimus jam ſpecialius hoſce modos, eo ordine, quo ab Ulpiano ſunt propoſiti, & de ſingulis quædam annotabimus.

Primus modus ita deſcribitur ab Ulpiano §. 5. 57.
h. tituli: Militia jus Quiritium accipit Latinus, ſi inter vigiles Romæ ſex annis militaverit, ex lege Viſellia. Præterea ex Senatusconſulto conceſſum eſt ei, ut, ſi triennio inter vigiles militaverit, jus Quiritium conſequatur. Quæ ad hujus modi illuſtrationem adduci poſſent, fere ſunt vulgaria, & ab aliis occupata: ergo breviter tantum hoc loco connexionis gratia perſtringenda. Notum nimirum eſt, libertini ordinis homines etiam cives Romanos, ad militiam non niſi neceſſitatis cauſa fuiſſe admiſſos. Id tamen de militia ſolum legionaria eſt intelligendum: nam ad alia militiæ genera minus honorata, veluti ad navalem militiam, haud difficulter etiam libertini admittebantur. Sic etiam Auguſtus, quum ad incendia compeſcenda vigilum cohortes inſtitueret, haſce ex libertinis potiſſimum, ſed civibus tamen ſine dubio, conſcripſit. (Conf. *Barnabæ Briſſonii Selectarum Antiquitatum librum* II. *cap.* 8. & *Raphaelis Fabretti Inſcriptiones*, *pag.* 259. *ſeqq.*) Poſtea vero, inventis ſub Tiberio Latinis Junianis, hi quoque ad hancce militiam ſunt admiſſi, quo minus

Digitized by Google

nus dubito, etiam ingenuos Latinos, ut colonarios, admiſſos fuiſſe. Quia tamen hæc militia Romanis valde erat contemtui, & hinc non multi ſponte ad eam accederent, neceſſe eſſe videbatur, ut homines ad eam privilegiis allicerentur. Hinc lata fuit A. U. C. (ſecundum æram Varronianam) DCCLXXVII. Sexto Cornelio Cethego & L. Viſellio Varrone Coſſ. ut plurimi putant, ſaltem poſt legem Juniam Norbanam, lex Viſellia, qua cautum, ut Latinus, ſi inter vigiles Romæ ſex annis militaverit, jura Quiritium conſequeretur. Non polixius hic de ipſa lege Viſellia agam, quia jam, præter ſcriptores generales de legibus, ſingulari illam Diſſertatione illuſtrarunt viri Clariſſimi *Andreas Florens Rivinus*, Præſes, & *Job. Gottfried Richter*, Reſpondens, *Lipſ.* 1736. Id tantum adhuc dicam, mea quidem opinione legem hancce non ſolis Latinis Junianis hoc tribuiſſe beneficium, ſed omnibus potius Latinæ conditionis hominibus. Intererat enim omnino reipublicæ, ut quam plurimi iſto præmio ad talem militiam, a qua alias homines vehementer adhorrebant, allicerentur. Et hinc quoque quum ſexennium illud nimis longum videretur, poſtea novum prodiit Senatusconſultum, incerto tempore & auctore, quo cautum erat, ut trium annorum inter vigiles militia ad jura Quiritium conſequenda ſufficere deberet.

58. Sequitur jam alter modus apud ULPIANUM §. 6. *hujus tituli*, quem hisce declarat verbis: *Nave Latinus civitatem Romanam accipit, ſi non minorem, quam decem millia modiorum navem fabricaverit, & Romam ſex annis frumentum portaverit, ex edicto Divi Claudii.* Sed ut eo melius modus hicce intelligatur, operæ pretium erit, ut & SUETONII

tonii de eo verba hic exhibeantur, quia ſic optime unus ex altero auctor illuſtrari poteſt. Ita vero loquitur ille in *Vita Claudii*, *cap.* 18. *&* 19. (quæ duo capita peſſime ſunt ſeparata) ***Arctiore autem annona, ob aſſiduas ſterilitates, detentus quondam medio foro a turba, convitiiſque, ac ſimul fragminibus panis ita inſtratus, ut ægre, nec niſi poſtico evadere in Palatium valuerit: nihil non excogitavit ad invehendos etiam tempore biberno commeatus. Nam & negotiatoribus certa lucra propoſuit, ſuſcepto in ſe damno, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet: & naves mercaturæ cauſa fabricantibus magna commoda conſtituit, pro conditione cujuſque, civibus vacationem legis Papiæ; Latinis jus Quiritium; fœminis jus quatuor liberorum, quæ conſtituta hodie ſervantur.*** Ex collatione igitur horum duorum locorum jam poſſumus perſpicere: 1) Auctorem hujus privilegii fuiſſe Claudium Imperatorem: 2) occaſionem vero tribuiſſe arctiorem Romæ annonam, quo malo urbs hæc ſæpe laborabat, non tantum ob ſterilitatem, ſed & ob neglectam in Italia agriculturam, ut adeo neceſſe fuerit, ut frumentum ex provinciis adveheretur: qua de re multa legi poſſunt notatu digna in *Petri Burmanni* præclaro libro *de Vectigalibus populi Romani*, *cap.* 2. & 3. & *cap.* 9. *pag.* 143. *ſeq.* 3.) Cauſa ergo hujus beneficii fuit, ut homines allicerentur ad frumentum frequentius Romam apportandum, id quod non niſi navibus commode fieri poterat. Non ſufficiebat etiam publicum illud frumentum, quod Romam ex provinciis mittebatur, ſed neceſſe quoque erat, ut & privati Romam frumentum, negotiationis cauſa, navibus adveherent. 4) Requirebatur itaque, ſi huic privilegio locus eſſe deberet, ut quis propriis ſumtibus navem ædificaret:

Digitized by Google

caret: 5) non tamen minorem, quam quæ decem millia modiorum caperet: 6) utque hac nave per ſex annos Romam frumentum apportaverit. Licet enim Suetonius generatim dicat: *navem mercaturæ cauſa fabricantibus*: partim tamen ex cauſa hujus beneficii, partim ex Ulpiano noſtro ſatis apparet, non aliam hic intelligi mercaturam, quam frumentariam. 7) Hisce obſervatis, jam Latinus jura Quiritium ex edicto Claudii conſequi poterat. 8) Non tamen dubitandum, hocce beneficium ad omnes pertinuiſſe homines Latinos, cujuſcunque ſexus & conditionis, id quod ſatis apparet, partim ex cauſa ejus: (nam reipublicæ quam maxime intererat, ut quam plurimi ad hancce fumentariam negotiationem allicerentur) partim ex Suetonii loco, qui hic Latinos non ingenuis, ſed civibus opponit. Et ita hic quoque modus pro inſtituti noſtri ratione ſatis erit illuſtratus.

59. In reliquis modis exponendis non tam copioſi eſſe poſſumus, quia ab Ulpiano tantum §. 1. *hujus tituli* generatim nominantur: explicatio vero eorum temporum injuria periit: periculum, tamen faciemus, quid in iis quoque illuſtrandis valeamus. Sequitur enim jam tertio loco apud Ulpianum: *Ædificio.* Ex quo ſolo vocabulo quaſi per nebulam videmus, per ædificium novum Romæ exſtructum potuiſſe Latinum jura Quiritium impetrare. Neque hoc etiam improbabile eſt: quemadmodum enim Romani per varias leges impediverunt, ne urbs ruinis deformetur. (Vide præter Interpretes ad notiſſimam legem XII. *Tabularum de tigno juncto*, *Petri Burmanni* opus *de vectigalibus populi Romani*, *cap. 6. pag.* 84. *ſeqq.*) ita etiam homines per varia alli-cuiſſe

Digitized by Google

cuiſſe privilegia videntur, ut nova ædificia Romæ exſtruerent. Ita quidem generalem hujus beneficii cauſam facile divinando aſſequi poſſumus: aſt cauſæ ſpeciales & occaſio, nec non auctor & conditiones, aliæque circumſtantiæ omnes nos latent. Recte vero annotat *Schultingius* ad hunc Ulpiani locum, *pag.* 574. incertum eſſe, num huc pertineat L. 139. D. *de* V. S. ut *Cujacius* putavit. Neque mihi probabile fit, de hocce privilegio actum fuiſſe in lege Papia Poppæa: aliam ſane hujus legis occaſionem indicat *Heineccius* in *Comment. ad* L. *Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 19. *pag.* 329. Immo licet Auguſtus nihil prætermiſerit, quod ad ipſam urbem Romam ornandam conducere videtur, nondum tamen ille mihi hujus beneficii auctor eſſe videtur, non tantum ob eam rationem, quia ejus tempore nondum erant Latini Juniani: (nam potuiſſet aliis Latinæ conditionis hominibus hoc concedere) ſed ob eam potiſſimum, quia Ulpianus ordinem temporis, quo beneficia hæc inventa ſunt, ſecutus eſſe videtur: hinc ea mihi ſedet ſententia, hocce privilegium poſt Claudii demum tempora tributum fuiſſe Latinis, non ſolis Junianis, ſed & aliis cujuſcumque ſexus & conditionis, quia ſalus reipublicæ requirebat, ut quam plurimi ad ædificandum invitarentur. Si in ſilentio veterum conjecturis indulgendum eſt, auctor hujus beneficii haud incommode ſtatui poteſt, vel Nero, qui teſte Tacito *Annal.* XV. *cap.* 43. poſt magnum illud incendium ædificantibus præmia ſtatuit pro cujuſque ordine & rei familiaris copiis: vel Veſpaſianus, qui teſte Suetonio in ejus vita, *cap.* 8. quia deformis urbs veteribus incendiis & ruinis erat, vacuas areas occupare, & ædifica-

re, ſi poſſeſſores ceſſarent, cuicumque permiſit. Sed hæc tamen omnia manent incerta, unde iis amplius immorari nolo.

60. Ad quartum igitur potius modum progredior, qui ab ULPIANO indicatur unico verbo: *Piſtrino.* Sine dubio ergo novi piſtrini, & quidem in ipſa urbe Roma, ædificatio tribuit quoque Latinis jura Quiritium. Sed qua occaſione, quibuſve cauſis, quo denique auctore hocce privilegium introductum fuerit, quæve eſſent hujus beneficii requiſita, ea omnia juxta cum ignariſſimis ignoramus. Evolvi quidem ſcriptores præcipuos recentiores, qui de piſtrinis ex inſtituto egerunt: (quorum recentiſſimus & copioſiſſimus eſt V. *Cl.* M. *Frid. Lebrecht Goetzius*, cujus liber non indoctus *de Piſtrinis veterum* prodiit *Cygneæ* 1730. 8vo.) ſed me omnes ſine ſolatio dimiſerunt: nihil enim in iis de hocce beneficio reperire potui. Facile quidem divinari poteſt, arctiorem annonam qua, ut ſupra dixi, Roma ſæpe laborabat, huic quoque beneficio occaſionem præbuiſſe; adeoque maximam piſtrinorum frequentium neceſſitatem & utilitatem, veram ejus cauſam fuiſſe: ſed vellem tamen ut hoc accuratius ex ipſis veterum monumentis oſtendi poſſet. Quod ad auctorem attinet, ſi in veterum ſilentio conjecturis indulgere permiſſum eſt, haud inepte fortaſſis Trajanus Imperator inventor hujus beneficii ſtatui poteſt, quippe de quo AURELIUS VICTOR *de Cæſaribus cap.* 13. narrat: *Annonæ perpetuæ mire conſultum, reperto firmatoque piſtorum collegio.* Sed hanc tamen conjecturam nemini obſtrudere volo. Quærunt potius alii, an certius quicquam ex veterum monumentis eruere queant. Id interim, ſi non certum, aſt valde tamen probabile mihi videtur, hunc

Digitized by Google

hunc quoque modum non minus ad colonarios aliosque Latinos utriusque ſexus ingenuos, quam ad Junianos pertinuiſſe.

Sequitur jam quintus & ultimus modus, qui ad ſolos ſexus ſequioris perſonas Latinæ conditionis pertinuit, & ab ULPIANO §. 1. *hujus tituli* hisce indicatur verbis: *Præterea ex Senatusconſulto, veluti quæ ſit ter enixa.* Hujus quoque beneficii auctorem cauſamque ignoramus: nullum enim exſtat indicium, ex quo hujus Senatusconſulti ætatem occaſionemque eruere poſſemus. Quod enim *Cujacius* & *Jacobus Gothofredus* de *Tertulliano* Senatusconſulto ſuſpicantur, id nimis eſt incertum, quam ut in illa conjectura acquieſcere queamus: id quod jam monuit Schultingius ad *Ulpianum l. c. pag.* 574. Id interim, ſi non plane certum, aſt valde tamen probabile eſſe videtur, pertinere hocce Senatusconſultum ad prœmia πολυπαιδίας, illudque omnibus omnino Latinæ conditionis mulieribus tribuiſſe jura Quiritium: neque enim rationem video ullam, cur ad ſolas Latinas Junianas ſit reſtringendum. Videtur quoque perinde fuiſſe, ſive liberi ex matrimonio juris gentium procreati, ſive vulgo concepti fuerint. Neque etiam dubitandum, perinde fuiſſe, ſive uno tempore, ſive diverſis temporibus ter enixa fuerit, ut etiam indicat PAULLUS L. 137. D. *de* V. S. qui locus tamen non ad hocce Senatusconſultum, ſed ad caput quoddam legis Papiæ Poppææ pertinet, ut recte contra *Jacobum Gothofredum* docuit *Heineccius*: poteſt tamen ad illud quoque ob rationis paritatem applicari. Denique perinde quoque fuiſſe videtur, ſive partus fuerit vitalis, ſive non vitalis. Recte vero annotavit laudatus *Hei-* 61.

 nec-

neccius in *Comment.* ad *Leg. Jul.* & *Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 9. *pag.* 225. neque utero exſectos, neque partus monſtroſos matri ad hocce benefi-
62. cium conſequendum profuiſſe. Non vero aſſentior doctiſſimo huic viro, quando opinatur, per hocce Senatusconſultum legi Juniæ Norbanæ eatenus derogatum fuiſſe, ut Latinæ non amplius in poſterum anniculus anniculave, ad jura Quiritium conſequenda ſufficeret, ſed ſi ter enixa eſſet, tunc demum ejus beneficii fieret particeps. Si enim hocce Senatusconſulto derogatum fuiſſet legi Juniæ Norbanæ, ULPIANUS ſine dubio ejus quoque mentionem feciſſet §. 3. *hujus tituli.* Quum vero ibi ſatis indicat, jus illud ex lege Junia Norbana ſalvum manſiſſe; hujus vero Senatusconſulti ſeparatim mentionem facit: exinde potius concludo, per hocce Senatusconſultum legi Juniæ Norbanæ minime fuiſſe derogatum: ſed hocce Senetusconſultum beneficium legis Juniæ Norbanæ magis ampliaſſe, adeoque illud ad alios plane caſus pertinuiſſe, qui in lege Junia Norbana non erant expreſſi. Nimirum, ut mentem meam uberius declarem, lex Junia Norbana de uno tantum ſpeciali loquebatur caſu, ubi mulier Latinæ conditionis per maritum ad jura Quiritium pervenire poterat. Hoc vero Senatusconſultum in genere omnibus Latinæ conditionis mulieribus, ſi ter enixæ fuerint, jura Quiritium tribuit. Ergo jam ex hoc Senatusconſulto, extra illum, quem lex Junia Norbana determinavit caſum, mulier Latinæ conditionis, ſive ingenua, ſive libertina jura Quiritium conſequi poterat: 1) ſi etiam cum cive Romano in matrimonio (juris gentium ſcilicet) viveret: 2) ſi civis Romani eſſet concubina: 3) ſi cum alio ho-

homine Latinæ conditionis, quam tali, qui lege Junia deſignatur, in matrimonio viveret: 4) ſi cum alio peregrino cujuſcunque ſortis viveret in matrimonio: 5) ſi extra omne matrimonium ex vago concubitu ter enixa fuerit: 6) ſi etiam ter partum haud vitalem fuerit enixa, tantum abeſt, ut in hocce Senatusconſulto requiratur, ut partus ſit anniculus. Ex hiſce igitur ſatis jam apparebit, hocce privilegium plane fuiſſe diverſum ab eo, quod lege Junia Norbana continetur. Quando ergo requiſita legis Juniæ Norbanæ aderant, tunc unicus ſufficiebat partus: quando vero illa non aderant, tunc mulier Latinæ conditionis non niſi per tertium partum ex hocce Senatusconſulto jura Quiritium impetrare poterat, adeo ut hoc Senatusconſultum beneficium legis Juniæ Norbanæ, quoad ſequioris ſexus perſonas, magis ampliaverit. Sed poſſet tamen facile aliquis in eam 63.
incidere opinionem, ac ſi hocce privilegium ad ingenuas tantum Latinæ conditionis mulieres pertinuerit, ob locum nempe Paulli *Recept. Sent. lib* IV. *tit.* 9. §. 8. *Latina ingenua, jus Quiritium conſecuta, ſi ter peperit, ad legitimam filii hereditatem admittitur: non eſt enim manumiſſa.* Sed, quod probe notandum, in hocce loco aliud plane continetur beneficium. Nimirum hic de Senatusconſulto Tertulliano ſermo fit, (ut vel ex ipſius Tituli inſcriptione patet) cujus mulier particeps fiebat per jus liberorum, ſi ſcilicet liberta quatuor, ingenua ter pepererit. Hocce vero privilegium ad ſolas pertinebat cives Romanas. Quando ergo mulier Latinæ conditionis quocunque modo jus Quiritium confecuta fuerat, jam oriebatur dubitatio, num ad beneficium ex Senatusconſulto Tertulliano conſequen-

dum opus eſſet, ut quatuor; an ſufficeret, ſi ter peperit? Reſpondet PAULLUS ex ratione Senatus conſulti Tertulliani, ſi Latina illa eſſet ingenua, tunc tertium partum ſufficere. Jam ergo porro quærebatur, quænam pro ingenua eſſet habenda? Rotunde reſpondet PAULLUS: quæ non eſſet manumiſſa. Ex quo ſequitur, etiam illam, quæ ex Latina liberta erat nata, licet non minus quam mater Latinæ eſſet conditionis, tamen, ſi jus Quiritium eſſet conſecuta, non pro libertina, ſed pro ingenua fuiſſe habitam, adeoque tertium ſuffeciſſe partum ad beneficium Senatus conſulti Tertulliani conſequendum. Hic eſt ſenſus loci hujus PAULLI, qui alias negotium faceſſere facile poſſet.

64. Plures modos ULPIANUS in eo, quem hactenus illuſtravimus, loco non attulit, neque etiam ejus tempore plures fuiſſe modos probari poteſt. Alium tamen adhuc modum, quo Latinus Junianus (alterius enim generis Latini poſt Antonini Caracallæ conſtitutionem non amplius ſupererant) ſive ille ex manumiſſione, ſive ex nativitate hunc ſtatum ſortitus fuiſſet, jura Quiritium conſequi potuerit, introduxit Conſtantinus M. Imperator in L. I. C. *Theod. de raptu virg. & viduar.* (*lib.* IX. *tit.* 24.) Verba legis ſunt: *Si quis vero ſervus raptus facinus diſſimulatione præteritum, aut pactione tranſmiſſum, detulerit in publicum, Latinitate donetur: aut ſi Latinus ſit, civis fiat Romanus* Cauſa hujus beneficii fuit partim inſigne hujus criminis odium, (quod præcipue ex hujus Imperatoris legibus elucet) partim quod animadverterat Imperator, hocce crimen ſæpe ab iis maxime occultari, qui maxime accuſare deberent, ergo ſervos & libertos, ſolos fere conſcios ple-

plerumque, ad delationem præmiis eſſe alliciendos exiſtimavit. Fortaſſis & in aliis caſibus Latini in præmium civitatem Romanam publica auctoritate accipiebant. Probabile enim omnino eſt, iis omnibus cauſis, ex quibus ſervi libertatem publice accipiebant, Latinos jura Quiritium conſecutos fuiſſe: neque tamen propterea neceſſe eſt, ut plures civitatem Romanam acquirendi modos ſtatuamus, quum potius omnes hujusmodi caſus ad generalem modum, Beneficium ſcilicet Principis, commode referri queant.

Jam igitur ſpecialibus quoque modis, quibus 65.
ſoli Latini jura Quiritium conſequi poterant, abunde explicatis, nihil mihi amplius reſtare videtur, quod ad hanc doctrinam magnopere pertineat, quam ut paucis quoque indicem, magnam apud Romanos fuiſſe differentiam inter cives veteres & novos, *ſeu per Latium in civitatem* (non tantum ob geſtum in patria magiſtratum, ut ad Plinium annotant Interpretes: ſed & per iſtos modos, quos ductu Ulpiani hactenus explicavimus) *ſeu beneficio Principis veniſſent:* quemadmodum perſpicue docuit Plinius in *Panegyrico*, *cap.* 37. Veteres enim cives non modo juribus civitatis ſtricte ſic dictis, ſed & juribus familiæ, veluti adgnationis, gentilitatis ac patriæ poteſtatis, gaudebant: novi vero cives, licet non minus juribus civitatis fruerentur, hiſce tamen omnibus familiæ juribus deſtituebantur. Erant enim peregrini in civitatem recepti, non minus quam ſervi manumiſſi, veluti novi quidam homines, adeoque ſecundum ſtrictum jus civile nullam gentem, vel familiam, immo ne parentes quidem, aut liberos, habere poterant, ſed ipſe demum novam incipiebant gentem & fami-

liam. Neque hoc tantum juris erat, quum ſinguli homines in civitatem reciperentur, ſed & quum integræ familiæ, vel univerſitates civitate Romana donarentur: nam & hoc caſu ſingulæ perſonæ tanquam novi homines conſiderabantur. Sæpe tamen novos cives cum jure civitatis ſimul quoque cognationis jura impetraſſe, eoſque tunc veteribus civibus & in hiſce familiæ juribus æquiparatos, idem ille PLINIUS loco laudato indicat. Immo Trajanus Imperator novis poſtea civibus omnibus generali quadam lege Cognationis jura tribuit, tum quoad aſcendentes & deſcendentes, tum quoad fratres & ſorores, ut eatenus (non vero in omnibus, ut minus accurate loquitur *Burmannus*) diſtinctio inter veteres & novos cives fuerit ſublata. (Vid. PLINIUS *Panegyr. cap.* 38. & 39.) Sed pluribus hoc jam expoſuerunt viri doctiſſimi *Ezechiel Spanhemius* in *Orbe Romano Exerc.* I. *cap.* 18. & *Petrus Burmannus* in Diſſertatione *de Vectigalibus populi Romani*, *cap.* XI. *pag.* 165. *ſeqq.* Ut nihil amplius addi neceſſe ſit. [In tyronum tamen gratiam addo, celeberrimum *Burmannum* in laudata *Diſſertatione*, *pag.* 166. non accurate locutum fuiſſe, quando dicit: *Qui enim jus Latii habebant, ut plurimæ civitates, coloniæ, & municipia Italiæ* &c. Nam 1) Municipia omnia gaudebant jure civitatis, non jure Latii, ſive in Italia, ſive extra Italiam eſſent ſita. 2) Coloniæ aliæque civitates in Italia jam diu ante Auguſtum lege Julia jus quoque civitatis impetraverant: ergo eo tempore, de quo ibi ſermo eſt, fuerunt tantum Coloniæ aliaque oppida cum jure Latii extra Italiam. Diſcant ergo tyrones caute recentiorum doctorum virorum ſcripta legere: ſi enim ejuſmodi tantis viris exciderunt, quid de aliis ſperandum eſt?]

CA-

Digitized by Google

Caput IV.

De Jure Civitatis Romanæ atque Quiritium nec non de Jure Latii atque Italiæ in genere observationes singulares.

Argumentum.

§. 1. *Quinam civis Romanus dicendus.* 2 *Notatur Manutius.* 3. *Juris civitatis definitio.* 4. *Jura civitatis recenſentur.* 5 *Inſtitutum hujus capitis.* 6. *Differentia inter jus gentium & civile.* 7. *Cur non omnes in rep. Rom uno eodemque jure fruerentur.* 8. *Inſtitutum Romanorum in communicanda civitate, tempore liberæ reipublicæ.* 9. *Sub Imperatoribus.* 10. *Diſcrimen inter ſubditos ipſos reipublicæ.* 11. *Differentia inter ipſos cives, ut alii optimo jure cives eſſent, alii non.* 12. *Civis Romanus optimo jure quis ſit? Juxta Onuph. Panvinium, qui refutatur.* 13. *Secundum Manutium qui refutatur.* 14. *Quis civis ingenuus vocetur apud Ciceronem.* 15. *Civium in urbe prærogativa.* 16. *Porro notatur Manutius.* 17. *Explicatur quid ſit: regi a Romanis magiſtratibus, & legibus Romanis vivere.* 18. *Iterum notatur Manutius.* 19. *Kippingii ſententia refutatur.* 20. *Sigonii ſententia refertur, & contra eam dubia moventur.* 21. *De domicilio in urbe agrove Romano.* 22. *De jure bonorum.* 23 *Auctoris ſententia de optimo jure cive.* 24. *Quænam jura ad civem Romanum efficiendum eſſent neceſſaria.* 25. *De jure Quiritium.* 26. *Quando cum jure civi-*

civitatis Romanæ unum idemque, quando diverſum ſit. 27. *De illo ſententia Manutii.* 28. *Quæ refutatur.* 29. *Quinam peregrini & Romani liberti vocentur.* 30. *Quirites omnes cives vocabantur, & omnes habebant jus Quiritium.* 31. *Onuph. Panvinii ſententia.* 32. *Quomodo illa cum Manutii conveniat, aut differat, oſtenditur, & refutatur.* 33. *Sigonii ſententia.* 34. *Mylii refutatio hujus ſententiæ examinatur..* 35. *Auctoris dubia contra Sigonii ſententiam.* 36 *Auctoris ſententia.* 37. *Non ſemper hoc diſcrimen obſervatum.* 38. *Varia differentia inter cives Romanos pro diverſis juribus.* 39. *Quod ſpecialius explicatur de ſingulis juribus civitatis.* 40. *Differentia ratione diverſarum legum, quibus utebantur.* 41. *Quomodo per gradus juris uniformitas in Imperio Romano introducta fuerit.* 42. *Varia tamen oppida retinuerunt autonomiam.* 43. *Differentia inter Edictum urbanum & provinciale.* 44. *De peregrinis horumque differentia.* 45. *Alciati ſententia notatur de jure Latii.* 46. *Item de jure Italico.* 47. *Quinam hoc poſtea præcipue illuſtrarunt.* 48. *Generalia de jure Italico. Differentia inter prædia Italica & provincialia.* 49. *Juris Italici diverſæ ſignificationes.* 50. *Schwartzii Diſſertatio expenditur.* 51. *Valeſius notatur.* 52. *Quid Itali per legem Juliam conſecuti fuerint? quoad jus publicum:* 53. *Quoad jus privatum.* 54. *De jure Italico locorum.* 55. *Origo immunitatis locorum juris Italici. Differentia inter prædia Provincialia & Italica.* 56. *De aliis prærogativis juris Italici pauca monentur.* 57. *Spanhemii doctrina de jure Italico expenditur. Per Conſtitutionem Antonini Caracallæ non ſublatum fuit jus Italicum.* 58. *De*

jure

jure Latii, quatenus ſublatum. 59. *De jure provinciali, quatenus ſublatum.* 60. *De uſu juris Italici poſt Antonini conſtitutionem; de jure Italico Conſtantinopolis: de diverſa conditione tributorum.* 61. *Spanhemii diſputatio contra Gothofredum refertur, & de utriuſque ſententia indicatur.* 62. *Maderni ſententia expenditur.* 63. *Quomodo jus civitatis communicatum fuerit per conſtitutionem Antonini Caracallæ.. De peregrinis poſt illam conſtitutionem.*

VIDIMUS priori capite cives Romanos eſſe vel natos, vel factos, ſimulque abunde expoſuimus, quomodo quis civis Romanus vel naſci vel fieri potuerit. Quicunque igitur civis Romanus juſto modo vel natus, vel factus fuerat, is jure quoque civitatis Romanæ gaudebat: & contra, quicunque jure civitatis Romanæ fruebatur, is etiam erat civis Romanus. Neque enim 2. amplector *Paulli Manutii* ſententiam, qui tum in libro *de Comitiis*, *pag.* 488 *ſeq. Tom.* I. *Theſ. Antiqq. Rom. Grævii*, tum in libro *de Civitate Romana*, *pag.* 22. *ibidem*, differentiam aliquam fuiſſe putavit inter cives Romanos, & eos, qui habent jus civitatis Romanæ. Sed bene eſt, quod ipſe loco ultimo agnoſcat, veteres hanc diſtinctionem non obſervaſſe: ergo eam nullo quoque niti fundamento exiſtimo, ut alio loco probabitur. Maneat ergo fixum atque firmum, civem Romanum eſſe, quicunque gaudet jure civitatis Romanæ juſto modo adquiſitæ. Jus vero illud civi- 3. tatis Romanæ, de quo nunc ſermonem faciam, nihil aliud erat, quam complexus variorum jurium ſingularium, quibus præ aliis hominibus fruebantur cives Romani. Qui ergo civem Roma-

manum exacte cognoſcere cupit, is ſcire omnino debet, quænam ſint illa jura ſingularia, ſive
4. prærogativæ, quibus præ aliis gaudet. Nemo accuratius hanc pertractavit doctrinam, quam *Carolus Sigonius*, qui ita in hac re verſatus eſt, ut poſt amplam meſſem aliis non niſi ſpicilegium reliquerit. Ego in præſenti jura hæc ſingularia breviter tantum, & per modum indicis enarrabo, ita, ut ſimul oſtendam, quomodo illa optime ſecundum bonæ methodi regulas diſponi poſſint. Jura civitatis Romanæ vel ad Jus privatum, (id eſt ad commoda privati ſtatus) vel ad jus ſive ſtatum publicum ſpectabant. Ad jus privatum pertinent: 1) Jus libertatis: 2) Jus familiæ, ſive cognationis, ſenſu lato: quo pertinent α) Jus gentilitatis, β) Jus adgnationis, γ) Jus patriæ poteſtatis. Hæc jura a cæteris differunt: a) quod ad ſolos veteres cives pertineant, ad novos non aliter, quam ſi ea ſpeciatim impetraverint: b) quod pereant etiam minima capitis deminutione, quum cætera non niſi maxima & media pereant. 3) Jus Connubii: 4) Jus dominii legitimi, cum ſuis modis adquirendi, quos accurate enarravimus in *Tractatione de Teſtamenti factione*, *cap.* 3. §. 9. 5) Jus teſtamenti factionis: 6) Jus hæreditatum capiendarum: 7) Jus tutelarum, tam activum, quam paſſivum. II. Ad jus publicum ſpectant: 1) Jus ſacrorum publicorum: 2) Jus cenſus. 3) Jus tributorum & vectigalium: 4) Jus militiæ: 5) Jus ſuffragiorum: 6) Jus honorum & dignitatum. Rationem hujus diſpoſitionis alio
5. loco reddam. Enimvero nunc hujus capitis inſtitutum id imprimis requirit, ut de juribus civitatis in genere ſingulares quaſdam obſervationes cum lectoribus meis communicem; aliis vero capitibus

pitibus (quæ Deo volente partem in poſterum ſecundam harum Selectarum Antiquitatum conſtituent) de quibusdam quoque juribus in ſpecie diſſerendi erit occaſio.

Multi fortaſſis mirabuntur, inter jura ſingularia civium Romanorum referri etiam jus libertatis, jus familiæ, jus patriæ poteſtatis, jus dominii & hujuſmodi generis alia, quæ ad jura potius omnium hominum communia, quam ad jura civium Romanorum ſingularia primo ſaltem intuitu videntur eſſe referenda. Sed videntur tantum. Multum enim intereſt inter hæc jura, quatenus ex jure gentium, & quatenus ex jure civili Romano profluunt. Licet enim hæc jura per ſe ſint juris gentium, adeoque ad omnes pertineant homines: Romani tamen hiſce quoque juribus ſingulares quosdam attribuerunt effectus, qui, quoniam ex jure civili deſcendunt, ad ſolos tantum cives Romanos pertinere poſſunt. Quatenus ergo hæc jura ſingularem a jure civili acceperunt formam, eatenus recte quoque tanquam ſingularia civium Romanorum jura conſiderantur. *Majores aliud jus gentium, aliud jus civile eſſe voluerunt:* (inquit Cicero *Officior. lib.* II. *cap.* 17.) *quod civile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile eſſe debet.* Quæcunque ergo ex jure gentium perveniebant jura, ea ad omnes homines pertinebant: quæcunque vero ex jure civili Romano, ea tamquam jura ſingularia ad ſolos pertinebant cives Romanos. Hinc de iis, qui jus civitatis Romanæ amiſerunt, ait Marcianus L. 17. D. *de pœnis*: *ut ea quidem, quæ juris civilis ſunt, non habeant, quæ vero juris gentium ſunt, habeant.* (Adde L. 15. D. *de interdict. & releg.*) Et hoc ſenſu accipio, quando 6.

Quin-

Quintilianus *Inſtit. Orator. lib.* VII. *cap.* 2. & 4. legem ad ſervum & exulem pertinere negat. Per *legem* enim ſine dubio intelligit jura illa ſingularia, quæ ex legibus civilibus deſcendunt. [Confer, quæ dixi in *Tractatione de Teſtamenti factione cap.* III. §. 4. *Barnabæ Briſſonii Select. Antiqq. lib.* I. *cap.* 13. *Antonii Schultingii notas* ad Ulpianum *Fragm. tit.* XX. §. 14. *pag.* 631. *Juriſpr. Antejuſt.* qui bene ibi obſervat differentiam inter peregrinos, qui ſola civitate Romana carent, & eos, qui nullius civitatis participes ſunt: nec non *Samuelis Petiti Obſervatt. lib.* II. *cap.* 5. qui varia tamen ibi congeſſit, quæ neque hoc loco refellere animus eſt.]

7. Neque vero adeo mirandum eſt, Romanos cum exteris, qui ad eorum rempublicam non pertinebant, non habuiſſe juris civilis communionem: ſed id tamen fortaſſis jure mirandum videtur, in ipſa republica Romana fuiſſe peregrinos, neque omnes in ea incolas iiſdem juribus gaviſos fuiſſe. Sed omnis admiratio facile ſua ſponte abit, quando quis paullo accuratius in originem reipublicæ Romanæ inquirit. Aliud ſane eſt, quando reſpublica aliqua ab initio ex multis urbibus & regionibus coaluit: tunc enim omnes, qui ad iſtam pertinent rempublicam, plerumque tanquam cives ejus conſiderantur, adeoque eodem etiam jure fruuntur. Aliud vero eſt, quando reſpublica aliqua ex una quadam oritur urbe, ita, ut illa urbs ſemper tanquam fons & ſedes reipublicæ conſideretur: tunc plerumque magna ſtatuitur differentia inter cives iſtius reipublicæ, & inter ſubditos.

Et ſic etiam ſe res habuit in republica Romana. Notiſſimum enim eſt, totam initio rempubli-

blicam Romanam in ipſa tantum urbe Roma,
cum modico circumjacente agro, conſtitiſſe:
omne vero illud, quicquid deinde acceſſit, a Ro-
manis per bella fuiſſe adquiſitum. Initio ergo
ſoli ipſius urbis incolæ erant cives iſtius reipubli-
cæ: cæteri vero pro ſubditis tantum habeban-
tur. Quid ergo mirum eſt, tantum inter cives
iſtius reipublicæ & imperio ejus ſubjectos fuiſſe
diſcriminis: quum præſertim plurimi horum aut
per ſpontaneam deditionem in fidem ſuſcepti;
pauci per æquum fœdus ditioni Romanorum ac-
ceſſerunt, ſed ita tamen, ut & hi civibus non
æquiparari ſolerent. Verum quidem eſt, quod 8.
obſervavit *Ezechiel. Spanhemius* in *Orbe Rom. Exerc.* I. *Part.* 1. *cap.* 2. *ſeq.* Romanos initio
in communicanda civitate cum devictis haud
fuiſſe difficiles: ſed id tantum faciebant ad ipſius
urbis frequentiam promovendam. Hinc jus ci-
vitatis non communicabatur, niſi iis, qui ſedem
ſuam Romam transferrent. Sæpenumero ergo
alias deſtruebant urbes integras, omneſque illius
incolas Romam transferebant, & in civitatis
communionem accipiebant. Nunquam vero le-
gimus, eos antiquitus cum ipſis devictis vel fœ-
deratis urbibus, aut populis jus civitatis commu-
nicaſſe. Poſt annum demum urbis quadringente-
ſimum circiter, ſaltem poſt urbem a Gallis recu-
peratam, Romani ſenſim cœperunt cum aliis
quoque urbibus, quæ in ſuo ſtatu manebant inte-
græ, quæque exinde Municipia vocabantur, &
cum aliis populis, qui in ſuis permanebant ſedi-
bus, communicare jus civitatis: raro tamen hoc
fiebat initio, & rariſſime cum pleno ſuffragii ju-
re. Sæpe quidem Latini, & deinde etiam Itali
reliqui, jus civitatis Romanæ eſflagitarunt: nun-

quam

quam vero hoc, paucis & optime meritis exceptis, impetrare potuerunt, donec tandem bello illo funeſto, quod Italicum, ſociale, Marſicum vocari ſolet, poſt A. U. C. DCLX. iſtud a Romanis impetrarunt, vel potius extorſerunt. Nunquam vero liberæ reipublicæ temporibus Romani jus civitatis cum urbibus extra Italiam, & cum provinciis communicarunt. Majeſtas enim Senatus Populique Romani requirere omnino videbatur ut magnum inter ipſos cives, & imperio
9. ſubjectos intercederet diſcrimen. Alia vero rerum facies facta eſt ſub Imperatorum dominatione. Hi enim, a Julio Cæſare uſque, ii præſertim, qui tyranniciis præ cæteris artibus erant inſtructi, ſua intereſſe putabant, exteros, imperio ſubjectos, civibus paullatim æquiparari, ut eo facilius ipſorum civium libertas deprimeretur. Hinc ſub Imperatoribus cum provinciis ſenſim jus civitatis communicabatur, partim gratia, partim pretio, donec tandem Antoninus Caracalla una ediceret Conſtitutione, ut omnes in orbe Romano deinceps pro civibus Romanis haberentur. Suaſit hoc jam olim Mæcenas Auguſto apud Dionem Cassium *lib.* LII. *pag.* 479. Sed Auguſto quidem hoc ſuis temporibus nondum convenire videbatur, ut tanta induceretur mutatio, quin potius præ ſe ferebat, ſe facilius paſſurum, fiſco aliquid detrahi, quam civitatis Romanæ vulgari honorem, teſte Suetonio in ejus vita, *cap.* 40. Aliter vero rationes ſuos compoſuit Caracalla: & utrique quidem pro diverſis temporibus haud imprudenter egiſſe videntur, ut ex rationibus politicis facile poſſet demonſtrari, ſi id nunc ageretur.

10. Ex eadem quoque reipublicæ Romanæ inſtitutione

Digitized by Google

tione ratio facile reddi poteſt, cur inter ipſos imperio ſubjectos tam magnum variumque ſtatueretur diſcrimen, ut alio jure uterentur Latini, alio Itali, alio liberi & fœderati, alio denique provinciales. Id enim dignitas quoque Imperii Romani requirere videbatur, ut Latium præ cætera Italia; Italia præ exteris provinciis prærogativis quibusdam gauderet. Diverſa etiam ratio, quomodo populi imperio Romano acceſſerunt, & diverſa erga rempublicam Romanam merita, requirere omnino videbantur, ut ſubditi non una eademque haberentur conditione, ſed vel pro pactis & fœderibus, vel pro meritis ſuis, vel meliori, vel deteriori conditione gauderent.

Quum igitur, ut antea expoſui, quicunque gaudebat jure civitatis Romanæ, is quoque eſſet civis Romanus; jus vero civitatis Romanæ in variis prærogativis variiſque juribus ſingularibus conſiſteret: quæritur jam, num omnes ſaltem cives una eademque eſſent conditione. Quæſtio hæc non ad dignitatem pertinet: (facile enim intelligitur, non omnes reipublicæ cives unius ejusdemque dignitatis eſſe potuiſſe) ſed ad ipſum tantum jus civitatis. Quæritur nimirum, utrum ad civem Romanum conſtituendum neceſſe fuerit, ut quis omnibus civitatis juribus gauderet? Bene jam ad hanc quæſtionem reſpondit *Nicolaus Gruchius* in libro *de Comitiis Romanorum*, *lib.* I. *cap.* 3. *pag.* 562. *Tom.* I. *Theſ. Antiqq. Rom. Grævii:* (ex quo repetiit *Onuphrius Panvinius* in libro *de Imperio Rom. cap.* 5] *Quum*, inquit, *jus civitatis non una quadam in re conſiſteret, ſed multis ac diverſis veluti prærogativis conſtaret, non omnibus omnia jura concedebantur, unde efficiebantur variæ conditionis cives Romani.* Et hoc qui- II.

dem eſt veriſſimum. Exinde vero oritur diviſio inter cives Romanos plenos & minus plenos, ſive inter illos, qui optimo jure; & qui non opti-
12. mo jure cives ſunt. Jam vero quæritur, quid potiſſimum ad civem Romanum optimo jure conſtituendum pertinuerit? *Onuphrius Panvinius* in libro *de Imperio Romano*, *cap.* 5. ait: *Civis Romanus perfecto jure erat homo liber, qui in curia, centuria & tribu ſuffragium ferre poterat.* Quærit ergo ille prærogativam eorum, qui optimo jure cives ſunt, in jure potiſſimum ſuffragii, & pleno quidem, non tantum in centuria & tribu, (quod pariter habebant municipes & coloni) ſed etiam in curia, quod iis ſolum competebat, qui Romæ domicilium habebant: unde etiam neceſſe non putavit, ut jus domicilii ſingulatim exprimeret. Sed vir hic in Romanis antiquitatibus inveſtigandis diligentiſſimus, non videtur mihi exhaurire hacce definitione naturam civis Romani optimo jure: non enim expreſſit jus honorum petendorum & gerendorum, id quod tamen quam maxime ad optimum & plenum civitatis jus requirebatur. Neque enim putandum eſt, ut Panvinius exiſtimaſſe videtur, jus ſuffragii etiam jus honorum involviſſe; ſatis enim conſtat, non omnes, qui jus ſuffragii habebant, etiam honores Romæ gerere potuiſſe. id quod vel libertinorum exemplo patet. Nam ſecundum Panvinii quidem definitionem Libertini quoque fuiſſent optimo jure cives: quod tamen tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum.

13. Videbimus ergo, quid *Paullus Manutius*, haud minus diligens antiquitatum inveſtigator, hac de re cenſuerit. Hic in libro *de Civitate Romana*, *pag.* 16. *ſeq. Tom.* I. *Theſ. Antiqq. Rom. Grævii*, ita

ita loquitur: *Civium Romanorum abſoluta definitio tribus partibus conſtabat: 1) ut cenſeantur & ſuffragium ferant in aliqua triginta quinque tribuum: 2) ut regantur a Romanis magiſtratibus, & Romanis legibus vivant: 3) ut de tribus ordinibus unum obtineant. Harum partium poteſt aliqua communis eſſe civibus Romanis cum aliis quoque urbibus & locis: ſimul vero omnes ſolis conveniunt civibus Romanis. Nam cenſeri, & ſuffragium in tribu ferre etiam ad municipes pertinet: duæ vero ab iis reliquæ partes abſunt. At coloniæ Romanæ quiddam habent amplius: de tribus videlicet partibus unam & dimidiam: ſiquidem non ſolum cenſentur & ſuffragium ferunt, (quod utrumque jure connectendum putavimus) verum etiam Romanis legibus vivunt, minime tamen a Romanis magiſtratibus, ſed a ſuis duumviris reguntur. Præfecturæ vero, neque quod municipia, neque quod coloniæ habebant, ſed unum illud, ut a Romanis magiſtratibus adminiſtrentur, ex quo neceſſario ſequitur, ut leges Romanas obſervarent. Socii vero Latini neque municipiis, neque coloniis, neque præfecturis pares erant: nullam enim de tribus, quas nominavi, partibus habebant.* Hactenus Manutius. Sed tota hæc illius doctrina minus eſt accurata, & varia contra eam moneri poſſunt: quorum quædam hoc loco tangenda, cætera ſequenti capiti reſervanda ſunt. 1) Et primo quidem ex tota hujus loci connexione videre licet, Manutium hic per cives Romanos intelligere tantum eos qui vel in ipſa urbe, vel ſaltem in agro Romano domicilium habent: non vero eos, qui in Municipiis, Coloniis, aut Præfecturis habitabant, quos quidem jus civitatis habere concedit, non tamen propterea recte dici cives Romanos exiſtimat. Enimvero quum hæc diſtinctio a veteribus non

obſervetur ſcriptoribus, ut ipſe Manutius infra agnoſcit, hinc illa a nobis quoque ut ſupra jam monui, non probatur. Sæpiſſime enim Municipes, Coloni & incolæ Præfecturarum cives Romani vocantur. Neque ulla etiam ratio eſt, cur hanc denominationem cum Manutio in libro *de Civitate Romana pag.* 29. Tom. I. *Theſ. Græviani*, ad eos reſtringamus ſolos, qui jus civitatis cum jure ſuffragii adepti ſunt; cæteros vero Romanos tantum appellatos fuiſſe exiſtimemus. Nunquam ſane probabit vir ille doctus, veteres inter Romanos & cives Romanos eo modo diſtinxiſſe: immo innumeris potius exemplis probari poſſet, municipes quoque ſine jure ſuffragii cives Romanos vocatos fuiſſe. Si vero aliquando ſimpliciter Romani vocantur, (ut v. g. apud LIVIUM *lib.* VIII. *cap.* 17.) tunc ſine dubio ipſa civis vox ſubintelligitur. Neque tamen ideo prorſus negare volo, denominationem Romanorum latius aliquando patere, quam civium Romanorum: Romani enim ratione originis vocari etiam poterant, qui ſine dignitate civium ex urbe in colonias Latinas, vel Italicas erant deducti, ut jam ex LIVIO *lib.* XXVII. *cap.* 9. monuit *Ezechiel Spanhemius in Orbe Rom. Exerc.* I. *Part.* 1. *cap.* 8. *pag.* 48. Præterea id quoque negari nequit, Municipes interdum, nec non Colonos & incolas Præfecturarum, civibus, originariis ſcilicet, contradiſtingui. Hinc admitti quodammodo poteſt, in ſenſu eminentiori cives Romanos dictos fuiſſe eos, qui vel in urbe, vel in agro ſaltem Romano domicilium habebant: quemadmodum interdum omnes illi, qui domicilio in urbe agrove Romano carebant, immo & illi, qui non in ipſa urbe nati erant, ſenſu licet minus

Digitized by Google

minus proprio, peregrini vocabantur, ut jam probavit laudatus *Spanhemius* in *Orbe Rom. Exerc.* II. *cap.* 22.

Num vero Cicero in *Bruto*, *cap.* 75. cives 14. Romanos qui Romæ domicilium habent, quatenus Municipibus aut Colonis contradiſtinguuntur, *cives ingenuos* vocaverit, ut poſt *Sigonium* docuit B. *Joh. Gottlieb Heineccius* in *Syntagmate Antiqq. Rom. App.* ad *lib.* I. *cap.* 1. §. 4. id altioris adhuc indaginis eſſe videtur. Ego ſane nusquam alibi apud veteres ſcriptores appellationem civis ingenui hoc ſenſu hactenus reperire potui. Ipſe vero hic Ciceronis locus dubiæ adhuc interpretationis eſt, neque ego determinâre audeo, quo ſenſu hoc loco Cicero appellationem civis ingenui acceperit. Notum ſane eſt, cives ingenuos libertinis plerumque civibus opponi: ſi quis ergo in ſenſu hocce famoſiſſimo locum Ciceronis accipere vellet, ego utique non video, quomodo is reprehendi poſſit. Quid enim mirum eſt, ſi Cicero a cive ingenuo majorem requirat elegantiæ ſermonis Latini curam, quam a libertino, qui plerumque ex ſervis nationis barbaræ, vel ſaltem Græcæ, per manumiſſionem cives facti erant. Poſſet etiam fortaſſis civis ingenuus hoc loco accipi pro aliquo liberalis ingenii cive, quique liberalibus inſtructus eſt artibus. Si quis tamen exiſtimare malit, Ciceronem civem ingenuum hoc loco vocaſſe nativum, non vero aſcititium, ego ſane non multum repugnarem. Notum enim eſt, Romanos ipſius urbis incolis præ civibus municipalibus & colonis majorem ſemper Latini ſermonis elegantiam adſcripſiſſe: & eatenus admitti quodammodo poſſet, ipſius urbis incolas, in oppoſitione Municipum & Colo-

norum, hoc ſenſu dici poſſe cives ingenuos. Sed & ſic non facile dicere vellem cum viris laudatis, Municipes ſtatim, ſimulac Romam domicilium tranſtulerunt, dictos fuiſſe cives ingenuos: quin potius putarem, cives ingenuos hoc ſenſu dictos non fuiſſe, niſi eos, qui in ipſa quoque urbe nati ſunt; quemadmodum etiam videmus, municipes ſæpe vocatos fuiſſe non tantum illos, qui in municipiis vivunt, ſed etiam eos, qui ex muncipiis ſuis Romam domicilium tranſtulerunt.

15. Quicquid vero hujus ſit, id interim certum eſſe puto, cives Romanos, qui in urbe agrove Romano domicilium habebant, præ aliis, qui iſto carebant domicilio, multis gaviſos fuiſſe prærogativis. Ne enim dicam, cives in urbe vel agro Romano habitantes majoris fuiſſe dignitatis, ob ipſius urbis dignitatem, quam alios, (unde etiam ſæpe videmus, municipes & colonos ab ipſius urbis incolis fuiſſe contemtos) id ſaltem conſtat, ſolos eos, qui domicilium Romæ habebant, ad honores admiſſos fuiſſe, & in ſenatum pervenire potuiſſe, ſolos quoque eos curiarum ſacrorumque curialium nec non comitiorum curiatorum fuiſſe participes. Alia præterea commoda enarrat CICERO *de lege Agrar.* II. *cap.* 27. *Vos vero*, inquit, *ſi me audire vultis, retinete iſtam poſſeſſionem gratiæ, libertatis, ſuffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, feſtorum dierum, cæterorum omnium commodorum.* Quo in loco non, ut plurimi eruditorum volunt, generatim jura civitatis enarrare voluit Cicero, ſed illa tantum commoda attingere, quibus ipſius urbis incolæ præ reliquis civibus gauderent. Id enim totius orationis ſcopo unice convenit, quia nempe plebi urbanæ perſuadere vult Cicero, ne ſe

in

Digitized by Google

in colonias, ſalvo etiam civitatis jure, deduci ſineret. Poſſet quidem objici, jus libertatis & ſuffragiorum civibus etiam extra urbem competiiſſe: ſed facilis eſt reſponſio. Libertas enim major ſane erat in urbe ipſa, quam extra eam, ob præſens Tribunorum plebis auxilium: jus ſuffragii vero facilius quoque ab ipſius urbis incolis, quam a colonis, iis præſertim, qui in longinquas deducti erant colonias, exerceri poterat. Maneat ergo fixum atque firmum, ad plenum jus Civitatis domicilium etiam in urbe pertinuiſſe. Sed melius feciſſet utique Manutius, ſi hanc expreſſe nominaſſet prærogativam, quam quod civis vocabulum tam ſpeciali ſenſu ſumſerit: ſic enim non tam multis ſe implicaſſet difficultatibus.

2) Deinde verum quidem eſt, ad civem Ro- 16.
manum optimo jure conſtituendum, omnino pertinuiſſe, ut quis cenſeatur & ſuffragium ferat in aliqua tribu: ſed hoc non exhaurit totam civis optimo jure naturam: quia, ipſo fatente Manutio, hoc jure etiam gaudent Municipes, Coloni, aliique, qui tamen non ſunt pleno jure cives, licet cives etiam Romani ab optimæ notæ ſcriptoribus, & recte quidem vocentur. Ergo imprimis adjungere quoque debuiſſet jus honorum: id quod jam antea contra Panvinium monui. 3) Quando vero deinceps ad jus civium Romanorum pertinere etiam putat Manutius, ut regantur a Romanis magiſtratibus & Romanis legibus vivant: in eo vehementer fallitur vir iſte doctus. Hoc enim omnino ad jus civium Romanorum non pertinere vel exinde liquet, quod utrumque hoc ad provinciales non minus pertinuerit, & contra, quod Municipes, qui cives ta-

tamen erant Romani, utroque caruerint. Tantum vero abeſt, ut illud pro ſingulari prærogativa habitum fuerit, ut pro maximo potius beneficio urbes acceperint, ſi iis fuerit permiſſum, ut propriis magiſtratibus propriiſque legibus re-
17. gerentur. Ut vero melius adhuc pateat, quam egregie fallatur Manutius, id quoque notandum eſt, in phraſibus illis: *regi a Romanis magiſtratibus*, & *Romanis legibus vivere*, multiplicem latere æquivocationem, quam non animadvertit doctus ille vir, quippe qui claris ſolum ideis contentus, nondum diſtinctas ſibi ideas in Antiquitatibus Romanis comparaverat. Romani enim Magiſtratus ſignificant quum Magiſtratus urbani, tum Magiſtratus etiam provinciales: deinde vel mediate, vel immediate aliquis regi poterat a Romanis Magiſtratibus. A Magiſtratibus urbanis immediate regebantur tantum cives Romani in urbe agrove Romano habitantes. A Magiſtratibus provincialibus immediate regebantur tantum Provinciæ, & Præfecturæ, ſi Præfectos illorum referas quoque ad Magiſtratus provinciales. Coloniæ, Municipia, urbes liberæ & fœderatæ, nec non ſocii ac populi liberi & fœderati, immediate a propriis ſuis Magiſtratibus regebantur. Omnes tamen provinciæ, urbes, populi, qui ſub imperio populi Romani quomodocunque erant, mediate quoque a magiſtratibus urbanis regebantur. Conſtat enim tempore liberæ reipublicæ Conſules imperium in omnes provincias, & in omnes habuiſſe homines, qui ſunt in imperio Romano, eoſque omnes imperio Romano ſubjectos Romam evocare potuiſſe: (Vid. Cicero *Philipp.* IV. *cap.* 4. & *ad Attic lib.* VIII. *Epiſt.* 15.) quod jus poſtea ſoli Imperatores ſibi arro-

arrogarunt. Coloniæ, Municipia, urbes fœderatæ, quæ in provinciis ſitæ erant, certo quoque modo a magiſtratibus provincialibus regebantur, licet & proprios ſuos haberent magiſtratus & ab illis etiam liberalius tractarentur, quam ipſi provinciales: qua de re alibi. Deinde, quod ad leges Romanas attinet, per illas deſignantur, vel leges illæ, quæ a populo Romano in comitiis latæ ſunt, vel omnes quoque illæ, quæ a Romanis aliis populis urbibuſque præſcribebantur. (Vid. Livius *lib.* IX. *cap.* 20.) Prioris generis leges proprie tantum ſpectant ad cives Romanos in urbe agrove Romano habitantes: poſterioris vero generis leges ad provincias & præfecturas pertinent. Licet enim recte dici poſſit de provincialibus & præfecturarum incolis, eos Romanis vivere legibus: id tamen non ita intelligendum, ac ſi eodem uterentur jure, quo cives in urbe: ſed quod non alio jure uti poſſent, quam eo, quod illis a Romano populo, Senatu, Magiſtratibuſque erat præſcriptum. De coloniis dubium adhuc quodammodo eſt, quo ſenſu jure Romano gaviſæ fuerint: ſed hac de re alibi erit dicendi locus.

4) Porro ex Manutii ſententia, dum Romanis 18.
legibus vivere, & a Romanis magiſtratibus regi, pro ſingulari venditat civium Romanorum jure, illud etiam ſequeretur paradoxon. Præfecturas meliori jure civitatem habuiſſe Romanam, quam Colonias & Municipia. Id ſine dubio poſtea animadvertens, rurſus illis eripit, quod his conceſſit, nimirum, ut cenſeantur, & ſuffragium ferant in tribu. Sed alio tamen loco ipſe Manutius hoc reſtringit ad tempora ante legem Juliam; immo, incertum adhuc eſt, an illo

Digitized by Google

tempore hoc de omnibus Præfecturis verum fuerit: nunc ſufficit monuiſſe, ex ipſius Manutii ſententia, poſt legem ſaltem Juliam, pleniori jure Præfecturas habuiſſe jus civitatis, quam Colonias & Municipia: id quod tamen omnino admitti nequit: ſed de Præfecturarum jure pluribus etiam alio loco agam. 5) Denique Manutius ad civem quoque Romanum pleno jure requirit, ut de tribus ordinibus unum obtineat. De tribus iſtis ordinibus ex Manutii & noſtra ſententia alia occaſione differendum erit. In præſenti id tantum dico, verum quidem omnino eſſe, unumquemque civem unum ex tribus iſtis ordinibus obtinuiſſe: neque tamen neceſſe eſſe puto, ut hoc ſigillatim exprimatur, quum per ſe potius facile poſſit intelligi. Enimvero Manutius hoc prætermittendum eſſe non exiſtimavit, quia illud pro jure ſingulari civium Romanorum proprie ſic dictorum, in oppoſitione ſcilicet Municipum, Colonorum, aliorumque extra urbem, habuit. Sed ego comprehendere nequeo, cur Manutius de incolis Municipiorum, Coloniarum & Præfecturarum (qui nempe jus civitatis Romanæ habebant) negaverit, quod in aliquo ex tribus iſtis ordinibus fuerint, in quos populus Romanus diſpeſcebatur. Ut enim nihil dicam de ſenatoribus ex municipiis, coloniis & præfecturis ortis: (nam hi prius domicilium Romæ collocare debebant, licet nihilominus municipes permanerent) multos ſane equites Romanos in municipiis, coloniis & præfecturis fuiſſe conſtat: cæteri vero incolæ ad tertium omnino & infimum ordinem, quocunque demum nomine quis illum appellare voluerit, referebantur. Non ergo hanc civibus Romanis, qui in urbe agro-

que

que Romano habitabant, ſingularem præ aliis civibus prærogativam fuiſſe, ſtatuendum eſt.

Hactenus Manutii ſententiam examinavimus: 19.
jam paucis quoque *Henrici Kippingii*, antiquarii haud quidem incelebris, non tamen ſatis accurati, ſententiam perluſtrabimus. Is *lib.* II. *Antiqq. Rom. cap.* 2. §. 1. *pag.* 33. *edit. noviſſ.* ita loquitur: *Civis plenus Romanus erat, qui domicilium, tribum & ſuffragii poteſtatem habebat.* Sed ut nunc non tangam, de quo mox dicendum, an tribus etiam jus ſuffragii involvat, id tantum dico, quod contra Panvinium &. Manutium jam monui, illum non exprimere jus honorum, id quod præcipue tamen erat ponendum. Deinde illud etiam hoc loco monere debeo, Kippingium ad jus ſuffragii multo plura retuliſſe, quam ad illud pertinebant, quando in ſequentibus ait: *Jus ſuffragiorum hoc erat, ut poſſent magiſtratus creare, judicia facere*, [Hactenus recte, niſi quod addere debuiſſet, leges jubere, vel antiquare: cætera vero, quæ ſequuntur, non pertinent ad jus ſuffragii, ſed ſunt alia jura ſingularia civium Romanorum] *in cenſum deferri, hereditates & legata capere, gentilitatem, adgnationem, adoptionem ſortiri, in legionibus militare.*

Hiſce ergo prætermiſſis, jam videbimus, quid 20.
Carolus Sigonius, antiquarius non tantum accuratus; ſed & bono præditus judicio, hac de re ſtatuerit. Is in libro *de antiquo jure civium Romanorum, lib.* I. *cap.* 1. ad civem Romanum optimo jure conſtituendum tria requirit: 1) domicilium in urbe agrove Romano: 2) Tribum, & 3) honorum petitionem. Melius ſane hic, quam alii, rem expreſſit: ſunt tamen adhuc quædam monenda. 1) Primo quidem videmus, Sigonium,

Digitized by Google

nium requirere tantum tribum, non vero claſſem, centuriam & curiam. Sed quod ad claſſem & centuriam pertinet, non neceſſario eam ſigillatim exprimendam eſſe cenſuit doctus hic vir, quia is, qui tribum habebat, neceſſario in aliqua etiam debebat eſſe centuria & claſſe. Quod vero ad curiam attinet, eam ſine dubio ſub domicilio comprehendi putavit. Dubium tamen adhuc eſt, num ſoli illi, qui in urbe ipſa domicilium habent, in curiis fuerint adſcripti; an etiam illi, qui in agro tantum Romano habitabant: qua de re alibi pluribus erit dicendum. Melius tamen forſan eſſet, ſi quis cum tribu Curiam etiam, Centuriam & Claſſem exprimeret.

21. 2) Deinde quæri adhuc poteſt, num, quoad optimum jus civitatis, perinde fuerit, utrum quis in urbe, an tantum in agro Romano domicilium habuerit? Hæc vero ex priori quodammodo pendet quæſtio: nam ſi illi tantum, qui in ipſa urbe domicilium habebant, in curias fuerint diſtributi, non videntur ſane illi optimo jure civitatem habuiſſe, qui in agro tantum Romano domicilium habuerunt, quia ſcilicet curia carebant. Exinde etiam dubitationem adhuc quandam habere videtur, num illi, qui in ſolo agro Romano domicilium habebant, ad honores quoque admiſſi fuerint. Poſſet quidem aliquis ſuſpicari, eos ipſos, qui in agro Romano habitabant, majoris adhuc dignitatis fuiſſe; quam eos, qui in ipſa habitabant urbe, quia nempe ruſticæ tribus urbanis erant digniores. Sed qui ita ratiocinantur, hi erunt fere, qui diſtinguere neſciunt, inter agros poſſidere, & in agro domicilium habere. In ruſticis enim tribubus non tantum cenſebantur illi, qui in agro domicilium habebant perpetuum,

ſed.

ſed omnes omnino ordinarie ingenui, qui agros poſſidebant, licet in ipſa urbe domicilium haberent. Contra qui nullos poſſidebant agros, & non niſi tectum in urbe habebant, cum omnibus libertini ordinis hominibus, in tribubus urbanis cenſebantur, ut alio loco accuratius docebo. Domicilium ergo in ipſa urbe majoris omnino dignitatis fuiſſe, quam in agro Romano; & omnes fere Romanos, qui proprios agros poſſidebant, in urbe etiam domicilium habuiſſe, perſuaſum habeo: illos vero, qui in agro ſolum Romano domicilium habebant perpetuum, non fuiſſe alios, quam homines quosdam egenos, tales maxime, qui alienos agros, ſive publicos, ſive privatos, colebant exiſtimo. (Vid. Cicero *de lege Agrar. Orat.* II. *cap.* 31.) Sufficit ergo forſan, ſi dicamus, ad optimum civis Romani jus pertinere domicilium in ipſa urbe Roma. Licet vero omnino adſtruamus, illos, qui in urbe domicilium habebant, prærogativis quibusdam gaviſos fuiſſe præ illis, qui in agro ſolum Romano habitabant, non propterea tamen admittimus diſtinctionem *Paulli Manutii* in libro *de civitate Romana*, *pag.* 27. *Tom.* I. *Theſ. Antiqq. Rom.* inter populum Romanum & cives Romanos, ita, ut populus Romanus ſolos comprehendat cives intra pomœrium habitantes; cæteri vero ad cives tantum Romanos referantur. Sed hocce commentum Manutii nullius eſſe pretii, ſatis jam oſtendit *Joh. Georg. Grævius* in doctiſſima *Præfatione* ad *Tom.* I. *Theſ. Antiqq Rom. pag.* *** 3. b. ut nihil a nobis addi neceſſe ſit.

3) Si igitur jus honorum ad eos ſolos pertinet, qui in ipſa urbe domicilium habent, (ut mihi probabile ſit) quæri forſan poſſet, cur illud quo- 22.

que

que ſigillatim eſſet exprimendum? Sed facilis eſt reſponſio: licet enim ad jus honorum requiratur domicilium in urbe, non tamen propterea omnibus, qui domicilium Romæ habent, civibus, continuo etiam honorum petitio competit: excludebantur enim multi ab varias rationes, ut alibi erit exponendum. Omnino ergo neceſſarium eſt, ut jus quoque honorum ſigillatim exprimatur. Immo ego jus honorum omnium jurium Romanæ civitatis fuiſſe præcipuum & excellentiſſimum, & hinc illud quam maxime ad optimum jus civitatis Romanæ pertinuiſſe, firmiter perſuaſum habeo. Fuit enim jus honorum veluti complementum aliquod cæterorum omnium jurium, adeo, ut qui iſto gauderet, de eo amplius dubitari non poſſet, quin cætera quoque civitatis jura omnia haberet. Aſt contra poterat aliquis omnibus civitatis juribus gaudere, & hoc unico ſolum jure deſtitui, de quo tamen vel ideo dici non poterat, quod optimo jure eſſet civis Ro-
23. manus. Siquis ergo breviter, & uno veluti verbo, præcipuum criterium, ex quo optime dijudicari poſſit, num aliquis pleno & optimo jure civis ſit, indicare vellet, is mea opinione non inepte ſane dicere poſſet, eum fuiſſe optimo jure civem, qui haberet jus Romæ honorum petendorum & gerendorum. Nam & ſic, neceſſe non eſt, ut domicilium in urbe Roma expreſſis verbis addatur: domicilium enim non tam fuit peculiare aliquod jus, (ordinarie enim nulli, ne peregrino quidem, Romæ habitare prohibitum erat) quam neceſſarium potius requiſitum, ad plenarium ex civitate Romana fructum percipiendum. Qui enim domicilio in urbe carebant, illi omnibus civitatis Romanæ juribus, & hoc in-

inprimis honorum jure, uti frui non poterant. Si quis tamen paullo clarius & accuratius exprimere velit, qua in re optimum jus civitatis Romanæ conſiſteret, is, me auctore, dicere poteſt, civem Romanum optimo jure plenum fuiſſe eum, quicunque omnibus civitatis Romanæ juribus, nullo excepto, gauderet: contra minus plenum fuiſſe eum, qui quibusdam juribus deſtitueretur. Sed & inter cives minus plenos alii aliis pleniori jure cives eſſe poterant, prout ſcilicet vel pluribus, vel paucioribus civitatis juribus fruerentur. Haud tamen facile determinari 24.
poteſt, quot abſciſſè jura ad civem Romanum conſtituendum requirerentur. Non enim cogitandum eſt, ſtatim aliquem civem Romanum factum fuiſſe, ſimulac unum vel alterum jus civitatis Romanæ nactus fuerit. Sæpe enim una alterave juris civitatis ſpecies cum peregrinis quibusdam, vel per generalem legem, vel per ſpeciale aliquod privilegium, communicabatur, (ut jam annotavi in *Tractatione de Teſtamenti factione*, *cap.* III. §. 12.) qui tamen ideo non fiebant cives Romani. Quæritur ergo, quot jura ſufficerent ut aliquis pro cive Romano haberetur. Mihi ea ſedet ſententia, omnia jura privata (excepto jure connubii) omnino fuiſſe neceſſaria ad civem Romanum efficiendum: non perinde vero jura publica. Publica ergo jura magis faciebant, ut aliquis pleniori jure civis eſſet, quam ut omnino eſſet civis: id quod aliis tamen accuratius excutiendum in præſenti relinquere volo: mihi enim jam ad alia momenta pergendum eſt.

Nimirum, quum in preſenti capite omnia mi- 25.
hi dubia, quæ ad generalem juris civitatis Romanæ cognitionem ſpectant, excutienda ſunt, ne-

neceſſe omnino eſt, ut quædam etiam de Jure Quiritium admoneam. Licet enim poſt alios hanc rem peculiari Diſſertatiuncula pertractandam ſibi ſumſerit juvenis doctiſſimus, & ſi quis unquam longiori vita digniſſimus, *Joh. Henricus Mylius*, quæ inter *Opuſcula* ejus *Academica*, *Lugd. Bat.* 1738 junctim edita, legi poteſt: tantum tamen abeſt, ut ille aliis hac de re dicendi facultatem præripuerit, ut in fine potius aquam ſibi hærere ingenue fateatur, aliiſque εὕρετρον promittat. Neque ego ea etiam fiducia ad hanc accedo tractationem, ut me rem plane ad liquidum perducere poſſe ſperem: ſed potius id tantum intendo, ut excuſſis aliorum ſententiis, meiſque conjecturis in medium allatis, doctioribus veritatem tandem inveniendi aliquam præbeam occa-
26. ſionem. Primo quidem id mihi certum eſſe videtur, Romanos non ſemper diſtinxiſſe inter jus Quiritium & jus civitatis, ſed utrumque potius pro uno eodemque jure quam ſæpiſſime ſumſiſſe: id quod bene etiam obſervavit lociſque veterum quibuſdam firmavit laudatus Mylius §. *vet. Diſſert.* ſuæ, quem mea tamen ſententia non recte eo retuliſſe locum Ulpiani *Fragm. tit.* III. §. 2. infra oſtendam. Si vero Ulpiano etiam teſtimonium denunciandum eſt, ego huc potius pertinere puto §. 6. *hujus tituli* verba: *Nam Latinus civitatem Romanam accipit*, &c. ubi illum *civitatem* pro *jure Quiritium* poſuiſſe docet Suetonius *in Claudii vita*, *cap.* 19. *Naves mercaturæ cauſa fabricantibus magna commoda conſtituit*, *pro conditione cujuſque*, *civibus vacationem legis Papiæ Poppææ: Latinis jus Quiritium*, &c. Poſſent plura adduci teſtimonia, niſi res tam clara eſſet, ut probatione non indigeat. Quum enim omnes omnino cives Romani dicerentur Quirites, ut pa-

pariter recte docuit idem juvenis doctiſſimus §. 5. *Diſſert.* laudatæ, quis dubitabit amplius, jus Quiritium eſſe ipſum jus civium Romanorum. Et hoc ſatis fuiſſet ad Theophilum defendendum. Licet enim vel maxime quædam aliquando inter duo iſta jura differentia intercedat: ſufficit tamen, ipſos plerumque veteres hanc diſtinctionem non obſervaſſe. Immo, ſi dicendum, quod res eſt, Theophilus in iis locis, ubi jus Quiritium per jus civile, ſive jus civium Romanorum explicavit, plane non erravit: ibi enim ſaltem nec potuit, nec debuit aliter explicari, ne dicam, illum in §. 2. *tit de Jure nat. gent. & civ.* nudum egiſſe tranſlatorem. Quid enim verius eſt, quam jus illud, quo populus Romanus utitur, jus civile, vel jus Quiritium appellari? Quid itidem verius eſt, quam jus dominii legitimi, ſive civilis, appellari etiam ex jure Quiritium? Sane qui hac in re Theophilum reprehendunt, illi nihil aliud agunt, quam ut propriam prodant inſcitiam. Exinde vero non ſequitur, non poſſe aliquando certo modo differentiam inter jus civitatis, & jus Quiritium intercedere. Conſtat tamen inter omnes, neminem veterum ſcriptorum, vel ICtorum, diſertis inter duo hæcce jura diſtinxiſſe verbis, quam unicum Plinium Juniorem, qui tribus locis (*lib.* X. *Epiſtoll.* 4. & 6. & 22.) tanta conſtantia duo hæc a ſe invicem jura ſeparavit, ut pro iisdem plane haberi nequeant, ut recte ad hunc ſcriptorem notavit B. *Gottlieb. Cortius pag.* 716. ſuæ Editionis, & fatetur tandem laudatus Mylius *l. c. pag.* 111. Quum tamen ex hiſce locis nihil amplius elici poſſit, quam fuiſſe aliquam inter duo hæcce jura differentiam; præterea vero ex nullo

veterum teſtimonio conſtet, quando hæc duo jura diſtingui cœperint, aut quodnam inter ea diſcrimen intercedat: hinc mirum non eſt, eruditos in diverſas hac de re abire ſententias, quarum jam præcipuas expendere operæ pretium erit. Nihil vero dicam de *Theodori Ryckii* (in *Animadverſionibus* ad Tacitum *Hiſtor. lib.* I. *cap.* 78.) & *Auguſt. Buchneri* (in *notis* ad Plinium *lib.* X. *Epiſt.* 4.) opinione, qui jus Quiritium pro jure Latii acceperunt: nam hæc jam ſatis ab eruditis fuit exploſa, & priorem ex inſtituto refutavit *Ezechiel Spanhemius in Orbe Rom. Exerc.* I. *cap.* 9. poſteriorem vero *Joh. Fridericus Gronovius in notis* ad Plinium *l. c. pag.* 715. *edit. Cortii.* Neque quicquam etiam dicam de V. *Cl. Joh. Friderici Chriſtii*, conjectura, quam propoſuit in *Noctibus Academicis*, *Part* II. *Num.* 6. nam & hanc ſolide jam excuſſit laudatus *Mylius* in §. 4. & 5. ſuæ Diſſertationis.

27. Primo ergo loco recenſenda nobis venit ſententia *Paulli Manutii*, quam propoſuit in libro *de jure civitatis Romanæ*, *pag.* 17. *Tom.* I. *Theſ. Antiqq. Rom.* Licet enim eam quoque jam ſæpe a nobis laudatus *Mylius* in Diſſertatione ſua, §. 2. adduxerit, eamque refutandam ſibi ſumſerit: neque tamen plene ſatis illam propoſuit, neque firmis ſatis rationibus refutavit, adeo, ut mentem Manutii ne recte quidem percepiſſe videatur. Quærit mimirum Manutius, num omnes illi, qui jus civitatis Romanæ habebant, Quiritium etiam jure fruerentur? Et hoc negandum eſſe putat. *Nam*, inquit, *libertini ordinis homines, civitatis quidem participes ſunt, nec tamen habent jus Quiritium, & nominandi quidem inter cives, habendi tamen inter Quirites non ſunt. Itaque Romanorum*

Digitized by Google

manorum civium libertis nunquam civitatem, (quam cum libertate habent) Quiritium jus ſæpe petitum invenimus: quod ſi aſſequebantur, tunc licebat iis non modo in ruſticis tribubus cenſeri, ſed etiam magiſtratus obtinere. Civitas igitur peregrinis, vel libertis, vel ingenuis; jus Quiritium Romanis libertis dabatur. Quod poſui, peregrinis, ſive libertis, ſive ingenuis, civitatem dari ſolitam, quæritur, eodemne jure, nullane inter eos diſtinctione? Satis beneficii fuit, civitate peregrinos libertos donari, nec veroſimile, ab ordine libertino & peregrinitate ad jus Quiritium eos tranſcendiſſe. Sic enim pares, immo ſuperiores fuiſſent libertis Romanis, qui a civitate ad jus Quiritium aſcendebant. Ergo puto peregrinos libertos cum civitate idem jus accepiſſe, quod Romani liberti. Quum vero peregrinis ingenuis civitas impertita, ſine dubio jus Quiritium intelligitur, interdum etiam nominatur, ut a Suetonio *in* vita Claudii, cap. 19. *Quod* Cicero Orat. pro Cæcinna cap. 33. *dicit:* Qui enim poteſt jure Quiritium liber eſſe is, qui in numero Quiritium non eſt? *non ad libertos, nec in univerſum ad omnes cives pertinet: nam liberti non ſunt in numero Quiritium. Ad eos igitur tantum ſpectat, quibus civitas adimitur, quo Quiritium numero exemti ſunt.* Hactenus Manutium audivimus, cujus ſententia eo redit, neque ſemper, neque nunquam jus Quiritium diſtinctum fuiſſe a jure civitatis Romanæ. Diſtinguit enim ille inter ingenuos & libertinos, & quoad ingenuos quidem perinde eſſe putat, ſive jus civitatis, ſive Quiritium impetrent; hos enim cum jure civitatis ſemper quoque jus Quiritium accepiſſe.

Quoad libertos vero magnum inter hæc jura diſcrimen fuiſſe exiſtimat: & peregrinos quidem libertos numquam jus Quiritium, ſed jus tantum civi-

civitatis impetrare potuiſſe; Romanos vero libertos jus civitatis per manumiſſionem, jus vero Quiritium Principis beneficio debuiſſe impetrare; hoc vero impetrato, illos ingenuis in omnibus fuiſſe æquiparatos. Fundus hujus opinionis eſt, quod Plinius pro peregrinis libertis a principe jus civitatis; pro Romanis vero jus Quiritium ſemper petat. Sed hoc ſolum, ſi etiam verum eſſet, rem conficere non poteſt, & multis præterea dubitationibus hæc ſententia eſt obnoxia, quæ paucis jam ſunt exponendæ.

28. 1) Et primo quidem non urgebo, quod Mylius objecit, peregrinis etiam legi jus Quiritium fuiſſe conceſſum. Nam de ingenuis ſaltem id Manutius concedit: de libertinis vero peregrinis nullus mihi hactenus locus cognitus eſt, ſi nempe peregrinus libertus is vocetur, qui a peregrino manumiſſus eſt. Nam Plinius ſaltem, ut recte notat Manutius, pro peregrinis iſtis libertis conſtanter jus civitatis, non vero Quiritium, a Principe expetit. Plinius Major vero *Hiſtor. Natur. lib.* XXIX. *cap.* 6. non loquitur de libertinæ conditionis homine, (ut Mylius videtur exiſtimaſſe) ſed homine peregrino ingenuo. 2) Sufficit vero contra Manutium monuiſſe, Latinos libertos ſæpiſſime jus Quiritium impetraſſe, [Vid. Ulpianus *Fragm. tit.* III. toto, & *tit.* XVII. § 1. Paullus *Recept. Sent. lib.* IV. *tit.* 9. §. 8. Plinius *Epiſtoll. lib.* X. *Ep.* 105. Suetonius in *Claud. cap.* 19. quæ loca partim de ſolis libertis, partim de libertis & ingenuis Latinæ conditionis ſimul loquuntur, ut priori capite oſtenſum fuit] qui tamen ex Manutii hypotheſi jus prius civitatis Romanæ impetrare debuiſſent, alias enim plus impetraſſent, quam liberti, juſto modo manumiſſi, qui

Digitized by Google

qui ſecundum ejus ſententiam jus tantum civitatis adepti ſunt.

3) Hiſce vero difficultatibus ſe implicavit Manutius, quod diverſas non ſatis diſtinguere valuerit ideas. Latet enim æquivocatio in vocabulis: *peregrinus libertus* & *Romanus libertus*. Nam peregrinus libertus poteſt ſignificare vel tantum eum, qui a peregrino manumiſſus eſt, vel illum etiam, qui quidem a cive Romano eſt manumiſſus, ita tamen, ut non civis factus fuerit per manumiſſionem, ſed Latinæ tantum, vel dedititiæ conditionis. Sic etiam Romanus libertus duplici ſenſu accipi poteſt, vel generatim pro eo, qui a cive Romano manumiſſus eſt, cujuſcunque demum ſit conditionis: vel in ſpecie pro eo, qui non tantum a cive Romano manumiſſus, ſed per manumiſſionem civis etiam Romanus factus fuit. Hinc Manutius, antequam tam confidenter pronuntiaret, inquirere prius debuiſſet, utrum liberti illi, pro quibus Plinius jus Quiritium ab Imperatore petiit, fuerint jam cives Romani, an potius Latini Juniani. Manutius eos pro civibus Romanis habet: ſed mihi magis veroſimile fit, eos fuiſſe Latinæ potius conditionis. Pro Latinis ſaltem libertis preces dirigit ad Imperatorem infra *Epiſt.* 105. unde probabile omnino fit, *Epiſtoll.* 4, 9, 22, Latinæ quoque conditionis libertos intelligi. 29.

4) Porro fallitur Manutius, quando putat, libertos per manumiſſionem juſtam jus quidem civitatis accepiſſe, non vero jus Quiritium, eoſque cives, non vero Quirites vocatos fuiſſe. In nullo ſane veteri ſcriptore hæc diſtinctio fundata eſt, ſed ex ſolo Manutii ingenio profluxit: ergo tam facile quoque rejicitur, quam ab eo adſtruitur, 30.

tur. Immo contrarium potius, libertos nempe per ipſam manumiſſionem Quirites factos fuiſſe, ſatis elucet ex Persii *Sat.* V. *v.* 75. dicto illo notiſſimo, & jam a Mylio obſervato: *Heu ſteriles veri, quibus una Quirites vertigo facit.* Cui adde Sidonii Apollinaris *Carm.* II. *ad Anthem.* v. 546. verba: *Donabis quos libertate Quirites.* Facile quoque probari poſſet, omnes omnino cives, tam ingenuos, quam libertinos, Quirites vocatos fuiſſe, ſi res probatione adhuc indigeret. Quum ergo libertini eſſent etiam Quirites, ſine dubio jure quoque Quiritium gaudebant. Quomodo enim potuiſſent v. g. habere patriam poteſtatem, vel dominium Quiritarium, ſi non habuiſſent jus Quiritium. Immo quomodo potuiſſent vel ex jure Quiritium liberi eſſe, ſi non fuiſſent in numero Quiritium? Ita enim ipſe Cicero ratiocinatur in *Orat. pro Cæcinna*, *cap.* 33. Prævidit hoc telum Manutius, & hinc illud parva, ut ita loquar, corporis declinatione evitare voluit: ſed fruſtra: nam ſatis acriter ſententiam ejus vulneravit. Clariſſime enim Cicero de omnibus omnino civibus ibi loquitur, & abunde ſignificat, neminem poſſe habere libertatem juris Quiritium, quam eum qui eſt in numero Quiritium, vel quod idem eſt, qui habet jus Quiritium. Tam certum igitur eſt, quam quod certiſſimum, omnes cives Romanos non modo vocatos fuiſſe Quirites, ſed & jure Quiritium gaviſos fuiſſe, alias enim ne privata quidem civitatis Romanæ jura, quæ omnino erant neceſſaria, habere potuiſſent. 5) Nuſquam quoque legimus, libertos per jus Quiritium ingenuis plane fuiſſe æquiparatos, ut Manutius aſſerere videtur: hoc enim fiebat non niſi per jus aureorum an-

annulorum, aut plane per natalium reſtitutionem. 6) Denique fallitur Manutius, quando locum Suetonii in *Claud. cap.* 19. de ſolis accipit ingenuis: pertinet enim omnino quoque ad libertos Latinos, ſive Junianos, licet non ſolos, ut priori capite a nobis fuit demonſtratum. Et ſic quidem, ſatis, ut opinor, Manutii ſententiam de jure Quiritium refutavimus.

Jam opinionem quoque *Onuphrii Panvinii* 31.
(quam Mylius non attigit) ex ejus libro *de Imperio Romano, cap.* 9. exhibebimus. Is ita hac de re loquitur: *Jus Quiritium idem fere eſſe exiſtimo, quod jus civium Romanorum, ab Auguſto excogitatum, quo antiquos cives Romanos & nobiles a novis civibus libertinis & peregrinis diſcernerent, qui civitate donati, jus quidem civitatis Romanæ habebant, ſed non jus Quiritium, quod erat paullo excellentius, puto tanto tributo non gravori, eadem privilegia habere, quæ vetuſtiſſimi cives urbem incolentes haberent. Nam poſt legem Juliam, qua Italiæ omni civitas data eſt, & omnibus æquata ſuffragia, ut cives Romani novi & inferioris gradus a vetuſtiſſimis privilegiis & dignitate diſcernerentur, his vocibus, jure Quiritium & civitate Romana, ab aliquo Imperatorum diſtincti ſunt. Jus ergo Quiritium erat aliquid dignius, quam civitas Romana. Nam quibuſdam libertis civitatem Romanam apud* Plinium Epiſt. ad Trajanum *concedi legimus: jus vero Quiritium non. Item quibuſdam civibus Romanis jam factis jus Quiritium addi. Quæ tamen differentia ante Cæſaris dictaturam non inveniri opinor, quum civis Romanus cum ſuffragio factus perfecto & optimo jure civis eſſet. Cæterum poſt Auguſti tempora de his rebus verba facere haud operæ pretium eſſe exiſtimo, quum ea omnia, ut reliqua*

urbis Romæ inſtituta corrupta fuerint & deformata.

32. Hactenus Panvinius, cujus ſententia cum Manutii in eo tantum convenit, quod jus Quiritium jure civitatis nobilius exiſtimet: id quod tamen mihi haud veroſimile fit: omnes enim cives, etiam infimi & viliſſimi, ut antea jam monui, Quirites vocabantur, & hinc jure quoque Quiritium gaudebant. Immo, de infimis juris civitatis ſpeciebus vel maxime dicitur, quod ex jure Quiritium competant, veluti libertas ex jure Quiritium, patria poteſtas juris Quiritium, dominium Quiritarium. Et ſi ergo altera ſpecies alteri eſſet nobilior, ego potius cum aliis facerem, qui jus civitatis nobilius fuiſſe, quam jus Quiritium exiſtimant: ſed ea de re poſtea erit deſpiciendum. Excepta ergo hac unica re, in cæteris Panvinii ſententia multum a Manutiana differt. Nam 1) Manutius nullum determinavit tempus, quando hæc diſtinctio orta fuerit: Panvinius contra tempus determinare voluit, ſed ita, ut admodum hac in re fluctuet. Mox enim generatim dicit, poſt legem Juliam ab aliquo Imperatorum hanc diſtinctionem eſſe ortam: (ubi neſcio Imperatoresne ille intelligat, quales libera republica fuerunt, an quales opreſſa republica) mox dicit, eam non fuiſſe ante Cæſaris dictaturam: mox vero eam ab Auguſto excogitatam fuiſſe pronunciat. Satis ergo hac fluctuatione ſua oſtendit, ſe nihil certi de origine hujus diſtinctionis afferre poſſe. Volumus interim id tantum aſſumere, Panvinium ſtatuere, hanc diſtinctionem non fuiſſe in uſu ante legem ſaltem Juliam, qua jus civitatis cum tota Italia fuit communicatum. Si ergo ſtatuit Panvinius, antea jus hocce Quiritium plane fuiſ-

ſe

Digitized by Google

ſe incognitum, omnino fallitur: nam de temporibus longe antiquioribus uſurpatur a Plinio *Hiſtor. Nat. lib.* XXIX. *cap.* 6. Si vero exiſtimat, hoc vocabulum poſt legem illam Juliam alium plane accepiſſe ſenſum, ita ut, quum antea idem eſſet cum jure civitatis, poſtea nobilius aliquod jus ſignificare cœperit: tunc utique probatio illi hujus aſſertionis incumberet. Nullus ſane mihi veteris ſcriptoris locus cognitus eſt, ubi juris Quiritium denominatio eo ſenſu occurrat. Nam quod ex Plinii Junioris *Epiſtolis* colligit, civibus jam antea factis ſuperaddi conſueviſſe jus Quiritium, adeoque hoc jure civitatis nobilius eſſe debere, id gratis aſſumitur: ex nulla enim circumſtantia cognoſcitur, libertos illos, pro quibus jus Quiritium Plinius ab Imperatore petit, jam antea fuiſſe cives Romanos, quum potius, ut ſupra probavi, probabile omnino ſit, eos fuiſſe Latinæ tantum conditionis. 2.) Deinde & Panvinii ſententia in eo a Manutiana differt, quod Manutius exiſtimet, ſolos libertinos caruiſſe jure Quiritium; ingenuos vero omnes cum jure civitatis habuiſſe etiam jus Quiritium. Panvinius vero ſuſpicatur, jus Quiritium competiiſſe ſolis civibus antiquis & nobilibus; cives vero novos, ſive ingenuos, ſive libertinos, habuiſſe tantum jus civitatis. Manutii ſententiam jam antea refutavimus. Verum nec firmiori talo nititur Panvinii opinio, ſed eadem, quæ contra Manutii ſententiam monuimus, contra hanc quoque valent: immo, quo magis Panvinius jus Quiritium reſtingit, eo improbabilior ejus ſententia evadit. Quis enim unquam audivit, novos cives a denominatione Quiritium excluſos fuiſſe: ſi vero erant in numero Quiritium, ſine dubio

Digitized by Google

jure etiam Quiritium gaudebant. Immo, quum paullo ante contra Manutium probaverim, ipſos etiam libertinos Quirites vocatos, & Latinis Junianis ſæpiſſime jus Quiritium datum fuiſſe: quis amplius dubitabit, quin ingenui, civitate donati, ſimul etiam jus Quiritium impetraverint: ut de Balbo diſerte quoque affirmavit Plinius *Hiſtor. Nat. lib*, VI. *cap.* 5. id quod exemplum ſine omni controverſia ad tempora poſt legem Juliam pertinet. 3.) Tandem in eo quoque diſferunt hi laudati duumviri, qua in re jus Quiritium, quando a jure civitatis diſtinguitur, conſtiterit. Manutius id in jure ingenuitatis præcipue quærit, idque ex ſua hypotheſi, quam jam antea refutavimus. Panvinius vero putat, eos, qui jus Quiritium habebant, omnibus gaviſos fuiſſe privilegiis, quæ civibus veteribus competerent, eoſque præterea tanto quoque tributo non gravatos fuiſſe, quam cæteros. Sed hæc omnia gratis affirmantur, & quum ſupra jam probavimus, jus Quiritium jure civitatis non fuiſſe nobilius, illudque omnibus omnino civibus competiiſſe, hæc quoque ſua ſponte corruunt. Imprimis vero male hic tributorum mentionem injicit Panvinius: conſtat enim inter omnes, jam diu ante legem Juliam, poſtquam hanc diſtinctionem ortam fuiſſe exiſtimat, cives nullis amplius tributis ordinariis gravatos fuiſſe, niſi forſan poſſiderent bona immobilia tributo obnoxia: ſed tunc jus Quiritium illis nullam præſtare poterat immunitatem. Ratione vectigalium quoque nullam inter veteres & novos cives differentiam deprehendimus: niſi forſan Panvinius in animo habuerit vigeſimam hereditatum: ſed hæc differentia non ex diſtinctione juris civitatis & Quiritium orie-

oriebatur, ſed ex ipſa natura novorum civium, ut priori capite jam fuit oſtenſum, & infra etiam docebitur, neque ad eam evitandam jus Quiritium, ſed jus cognationis a Principe concedebatur. Et ſic etiam ſatis, ut opinor, Panvinii ſententiam refutavimus.

Sequitur jam *Caroli Sigonii* ſententia, quæ ſu- 33.
perioribus quidem melior eſt, neque tantis premitur difficultatibus, quam Manutii & Panvinii, unde eam ſummi quoque viri, Spanhemius, Heineccius, Cellarius, (*in Diſſert. de Paulli Apoſtoli civitate Romana*, §. 10.) Cortius, (*in notis ad Plinium*, *pag.* 716. qui tamen falſo Manutium huic ſententiæ adſcribit) aliique ſunt ſecuti: neque tamen illam omni exceptione majorem eſſe, jam oſtendit ſæpe laudatus *Mylius* in Diſſertatione ſua, §. 3. licet ejus rationes non unius ejuſdemque ſint ponderis. Ego primum deſpiciam, quænam ſit illa Sigonii ſententia, & quid eum in hanc ſententiam perduxerit: (nam ipſe illud non expoſuit) deinde vero meas adjungam rationes, cur in illa adquieſcere nequeam, ſimulque vero Mylii rationes ſub examen modeſte revocabo. Sigonius diverſa illa jura, quæ civibus Romanis competebant, quæque generatim jura civitatis atque Quiritium vocantur, recte dividit in ea, quæ ſunt juris privati, & quæ ſunt juris publici. Priora ad jus Quiritium in ſpecie ſic dictum; poſteriora ad jus civitatis in ſpecie ſic dictum pertinere putat. Ergo ignobiliores illas juris civitatis & Quiritium in genere ſpecies, quæ omnibus competere debent civibus, ſpecialiori ſenſu *jus Quiritium*; nobiliores vero, quæ non omnibus competunt, ſpecies, ſenſu aliquo ſpecialiori & eminentiori *jus civitatis* vocatas fuiſ-

ſe

ſe exiſtimat. Quando ergo quibuſdam ſolum jus Quiritium in ſpecie ſic dictum conceſſum legimus, tunc illi ex ejus mente ea ſolum acceperunt jura, quæ ad jus privatum pertinent: quando vero aliis conceſſum fuit jus civitatis in genere, tunc illi omnia quoque jura, quæ ad jus publicum ſpectant, conſecuti fuerunt ex Sigonii ſententia. Permovit ſine dubio virum illum ſua ætate doctiſſimum: 1) quod animadverterit, non omnibus, quibus civitas dabatur, ſemper plenum quoque civitatis jus conceſſum fuiſſe: 2) quod obſervaverit, ſpecies illas, quas ad jus publicum retulit, non omnibus ſemper competiiſſe; illas vero, quas ad jus privatum retulit, omnibus civibus competere debere. 3) Denique vidit quoque, de illis, quæ ad jus privatum ſpectant, ſpeciebus frequentiſſime dici, quod ex jure Quiritium competant. Sic habemus v. g. libertatem ex jure Quiritium, patriam poteſtatem juris Quiritium, dominium Quiritarium, ſive ex jure Quiritium. Ergo ſic optime rem componi poſſe putavit Sigonius, ſi diceret, jus Quiritium in ſpecie ſic dictum pertinere ad jus privatum: jus vero civitatis in ſpecie ſic dictum ad jus publicum ſpectare civium Romanorum.

34. Jam videbimus, quid eruditiſſimus *Mylius* §. 3. *ſuæ Diſſertationis* contra hanc ſententiam moneat. 1) Primo objicit ex *Fragmento Regularum veteris ICti*, §. 6. *pag.* 804. *in Juriſpr. Antejuſt:* verba: *& civitas Romana competit manumiſſis.* Ex quibus ſequi putat Mylius, ſi verba ex Sigonii mente interpretanda, libertinos omnia etiam ea habuiſſe jura, quæ ad jus publicum pertinent, quum tamen, ut ipſe Sigonius docuit, jure tantum privato uſi fuerint. Sed ad hocce dubium facile reſpon-

ſpondere potuiſſet Sigonius. Præterquam enim quod minus recte omnia jura publica abjudicentur libertinis, (ut infra dicam) in hoc quoque loco non accipienda eſt civitas Romana pro jure civitatis in ſpecie ſic dicto, quatenus jure Quiritium contradiſtinguitur, ſed ſenſu potius generali. Senſus nempe eſt, manumiſſos per iſtam manumiſſionem cives Romanos factos fuiſſe, adeoque ea civitatis jura accepiſſe, quæ libertinis competere poſſunt. Et eodem quoque modo accipienda ſunt verba Ulpiani in L. 1. D. *de bonis libert.* quæ Mylius pariter in fine hujus §. urget. 2) Deinde objicit Mylius, quod Plinius pro libertis Romanis intercedat, ut jus Quiritium impetrent, quod tamen ſecundum Sigonii ſententiam jam ex manumiſſione habere debebant. Sed facilis eſt reſponſio, quam ipſe quoque Mylius jam ſubodoratus eſt: libertos videlicet illos Latinæ fuiſſe conditionis. Nam liberti quidem cives jura Quiritium cum ipſa omnino manumiſſione acceperunt, ut ſupra jam oſtendi: neceſſe ergo eſt, illos Latinæ fuiſſe conditionis, quibus jus Quiritium ſæpiſſime conceſſum fuiſſe ſupra abunde probavi. 3) Porro quærit Mylius, cur Plinius Romanorum libertis privata tantum jura; exteris & peregrinis autem publica etiam exoret? Potuit hoc multas habuiſſe rationes, quæ a nobis hodie, quum a Plinio ſileantur, non tam facile divinari poſſunt. Volo tamen probabiles quoſdam enarrare, ut ſaltem non tam hoc mirabile eſſe oſtendam. Romanis illis Latinæ conditionis libertis ſatis fuit beneficii, ſi jus civitatis eo modo nanciſcerentur, quo alii illud per juſtam manumiſſionem adipiſcuntur: neque etiam libertinæ conditionis homines plenum jus civitatis

tis adquirere poterant, niſi per jus aureorum annulorum, ſive per natalium reſtitutionem: ſufficiebat ergo, ut jus Quiritium impetrarent. Cogitandum quoque eſt, Plinium non niſi patronis volentibus illud ab Imperatore petiiſſe: aſt patroni forſan noluerunt, ut aliquid amplius, quam jus Quiritium, impetrarent iſti liberti. Quod vero ad pereginos attinet, nobis nondum certo conſtat, num Romani quoque, quando illis jus civitatis concederent, diſtinctionem fecerint inter eos, qui liberi nati, & qui liberi facti ſunt. Quicquid vero hujus ſit, dignitas tamen artis medicæ, & ingens, quod Plinius ab Harpocrate accepit beneficium, ſubigere facile illum potuit, ut plenum pro iſto civitatis jus ab Imperatore peteret, quum illud præſertim in nullius vergeret injuriam, quia Harpocrates nullum amplius patronum habebat. Quod vero ad propinquos Poſtumii Marini medici attinet, illi ſine dubio homines fuerunt ingenui, ut adeo non video, cur pro illis plenum jus civitatis rogare non potuerit Plinius. 4) Denique ita ratiocinatur Mylius: Jus patrium, ſive patriæ poteſtatis, ipſo fatente Sigonio, ad jura privata ſive Quiritium pertinet: & tamen PLINIUS *lib.* X. *Epiſt.* 6. rogat, ut Imperator civitatem det Chryſippo, uxori liberiſque ejus ita, ut hi ſint in patris poteſtate. Sed ad hoc etiam dubium facile reſponderi poteſt ex eo, quæ priori capite de differentia inter veteres & novos cives diximus. Nimirum dum Chryſippus, uxor, & liberi ejus jus civitatis adipiſcebantur, omnes illi erant veluti novi homines, neque ullum ſecundum jus civile vinculum inter eos intercedebat, adeoque neceſſe erat, ut Imperator ſpeciatim Chyſippo pa-

patriam poteſtatem in liberos iſtos concederet. Chryſippus quidem per ipſum jus civitatis jam habilis fiebat ad patriam poteſtatem adquirendam, & ſi poſtea ex uxore cive liberos procreaſſet, illi ſine dubio ipſo jure fuiſſent in patria ejus poteſtate: ſed ut etiam in liberos antea genitos, qui nunc cum ipſo cives ſimul fiebant, patriam haberet poteſtatem, ad id peculiari principis conceſſione opus erat. PLINIUS itaque hisce utique verbis non determinavit, utrum patria poteſtas ad jus Quiritium, an vero ad jus civitatis in ſpecie ſic dictum pertineat. Non enim ſenſus verborum eſt, ut Mylius forſan putavit, rogare illum, ut Imperator eo fine concedat jus civitatis, (in ſpecie ſic dictum) quo liberi ſint in patria poteſtate: ſed ſumma precum in eo conſiſtit, ut Imperator non tantum liberis cum parte ſimul jus civitàtis (ſenſu ſcilicet generali) daret, ſed & ſimul efficeret, ut liberi iſti, qui alias ſecundum jus civile ſui juris fuiſſent, in patris eorum redigerentur poteſtatem. Sic caute admodum loquitur BOETHIUS in *Comment. ad Topic. Ciceronis*, *lib.* II. *Aut cui Princeps populuſve civitatem, vel connubium permiſiſſet, eo ſcilicet modo, ut in poteſtatem parentum liberi redigerentur.*

Sic igitur pro Sigonio contra Mylium hactenus diſputavimus, ut ſi nulla alia ſupereſſent dubia, Mylii quidem rationes non obſtarent, quo minus ſecure in Sigonii ſententiam pedibus ire poſſemus. Sed mihi alia adſunt dubia, quæ prohibent, quo minus in illa adquieſcere queam. Nam 1) primo quidem quum ſemper periculoſum ſit in rebus antiquis aliquid ſine teſtimonio afferere: tùm illud in re tanti momenti periculoſiſſimum eſſe arbitror, ex ſolo ingenio determinare 35.

Digitized by Google

minare velle, quænam præciſe jura veteres ad jus Quiritium, quænam vero in ſpecie ad jus civitatis retulerint, quum nulla adſit ratio ſufficiens, quæ nobis perſuadeat, veteres eodem modo diſtinxiſſe. Semper enim in dubio eſſe debemus, annon unam alteramve juris privati ſpeciem ad jus civitatis; aut unam alteramve juris publici ſpeciem ad jus Quiritium potius in ſenſu illo ſpeciali referre conſueverint. Etenim licet, ut antea dixi, de iis ſæpiſſime juribus, pleriſque ſaltem, quæ Sigonius ad jus privatum retulit, veteres affirmare ſoleant, quod ex jure Quiritium competant: dubium tamen adhuc manet, an tunc eodem quoque illo ſpeciali ſenſu, quo a PLINIO adhibetur, vocabulo illo uſi fuerint. Immo, ſi dicendum, quod res eſt, de iis maxime jurium ſpeciebus, quæ per ſe ex jure naturæ oriuntur, & certam modo a jure civili formam acceperunt, (ut libertas, patria poteſtas, dominium) dicitur, quod civibus ex jure Quiritium competant, ut adeo hoc ſenſu jus Quiritium non tam juri civitatis in ſpecie ſic dicto opponatur, ut Sigonius forſan exiſtimavit, quam juri potius naturali, vel gentium. Mallem igitur aſſenſum potius cohibere, quam tanta fiducia hoc cum Sigonio aſſeverare. 2) Deinde accedit quoque, magnam adeſſe ſuſpicionem, Libertos Latinos per jus Quiritium non ea ſolum accepiſſe jura, quæ Sigonius ad jus privatum retulit, ſed & unam alteramve juris publici ſpeciem. De illis ſaltem libertis, qui per juſtam manumiſſionem cives Romani facti ſunt, ſatis conſtat, eos habuiſſe jus ſacrorum, jus cenſus, jus tributorum atque vectigalium, jus ſuffragiorum, immo illos nullo fere jure caruiſſe, quo ingenui utebantur,

exce-

exceptis tantum juribus militiæ atque honorum, ita ut libertini in urbe eodem fere jure uterentur, quo ingenui proletarii ac capite cenſi. Nullam vero video rationem, cur non Latini Juniani, quando jus Quiritium impetrarunt, eodem quoque jure gaviſi fuerint, quo libertini ordinis cives Romani fruerentur. Immo, quum probabile ſit, etiam Latinos ingenuos iiſdem, pleriſque ſaltem, modis jus Quiritium impetrare potuiſſe, quibus liberti Latinæ conditionis, ut priori capite dixi; quid vetat ſtatuere, eos tunc ingenuis quoque civibus Romanis æquiparatos fuiſſe. (*arg.* Paulli *Recept. Sent lib.* IV *tit.* 9. §. 8.) 3) Denique juxta Sigonii ſententiam nullum commodum quoque accipit ſenſum locus ille Ulpiani *Fragm. tit.* III. §. 2. *Beneficio principali Latinus civitatem Romanam accipit, ſi ab Imperatore jus Quiritium impetraverit:* ſed potius vel errorem, vel contradictionem, aut meram ſaltem tautologiam in ſe continet. Si enim quis civitatem in hoc loco accipere vellet ſenſu generali, pro pleno civitatis jure, tunc falſum omnino eſt, Latinum plenum civitatis jus accipere, quando jus tantum Quiritium, id eſt privatum, accipit. Visne vero accipere civitatem ſenſu ſpeciali, ex mente Sigonii, tunc plane adeſt contradictio: ſenſus enim eſſet, Latinum jura publica accipere, quando impetrat a Principe jura tantum privata. Reſtat ergo, ut quis dicat, (quæ plurimorum eſt ſententia) Ulpianum hoc loco diſtinctionem hancce plane non obſervaſſe, ſed civitatem hic idem eſſe, ac jus Quiritium, vel contra. Sed ſic manifeſta adeſſet tautologia, & idem eſſet, ac ſi dixiſſet Ulpianus: quando Latinus a Principe accipit jus Quiritium, (ſive ci-

vitatis) tunc a Principe accipit jus Quiritium, (ſive civitatis.) Hæ ſunt rationes, quibus permotus, a Sigonii ſententia recedo.

36. Quid igitur in re hacce obſcura, tantisque difficultatibus implicita, & in tanto ſententiarum divortio tandem eſt ſtatuendum? Opus ſane aleæ plenum eſt novam hic excogitare ſententiam, quum nullus adſit inter ſcriptores veteres, qui nobis in hiſce tenebris lucem accendat. Ut tamen periculum hujusce rei faciam, in cauſa eſt Ulpianus. Dum enim ſeveriori paullo meditatione in loco antea laudato defixus hæreo, ut Ulpianum meum a contradictione, vel tautologia liberem, is mihi, quaſi gratiam reddens, occaſionem dedit, ad novam aliquam ſententiam excogitandam, quam nunc paucis proponere volo. 1) Primo quidem probabile eſſe puto, non omnibus apud Romanos temporibus diſcrimen aliquod inter jus Quiritium & civitatis fuiſſe obſervatum. Si enim ſemper differentia aliqua fuiſſet, vix fieri potuiſſe exiſtimo, ut non aliquis veterum ante Plinium ſcriptorum illam aliquo modo indicaſſet. Veroſimile ergo fit, jus hocce Quiritium novum aliquod eſſe inventum, ſub Imperatoribus demum repertum. Fit quidem tempore liberæ reipublicæ mentio quoque juris Quiritium, ſed eo tantum ſenſu, ut idem plane ſit cum jure civitatis. 2) Deinde, quando accuratius paullum conſidero, quibusnam Imperatorum temporibus jus Quiritium in ſpecie ſic dictum conceſſum fuerit, ego ſane nullos alios reperio, quam Latinos, ſive colonarios, ſive Junianos, ſive ingenuos, ſive libertinos. [Utrique & colonarii & Juniani poterant eſſe vel ingenui, vel libertini, ut alio loco accuratius docebo.]

cebo.] De libertinis ſane Latinæ conditionis PLINIUS tantum loquitur, ut ſupra indicavi. Latini etiam Juniani mentionem tantum facit ULPIANUS *Fragm. tit.* XVII. §. 1. Eundem vero ULPIANUM *Fragm. tit.* III. nec non PAULLUM *Recept. Sent. lib.* IV. *tit.* 9. §. 8. & SUETONIUM in *Claud. cap.* 19. de Latinis tam colonariis, quam Junianis locutos fuiſſe exiſtimo, ut priori capite expoſui. Nullum vero præterea locum reperire potui, in quo jus Quiritium ſenſu illo ſpeciali accipi poſſit. Ex quo jam ſuſpicio oritur, fuiſſe jus Quiritium beneficium aliquod ſub Imperatoribus Latinis concedi ſolitum. 3) Porro pro fundamento pono, de quo nemo poteſt dubitare, Latinos colonarios præ aliis peregrinis multis gaviſos fuiſſe prærogativis, illiſque jura quædam, alias civibus Romanis propria, fuiſſe conceſſa, ita tamen ut ideo nondum eſſent cives Romani, quia multa adhuc jura illis deerant, quæ ad civem Romanum efficiendum erant neceſſaria. Deinceps tempore Tiberii per legem Juniam Norbanam novum genus Latinorum introductum fuit, qui ideo Latini Juniani vocabantur. Lex enim iſta omnes haud juſto modo manumiſſos, qui non erant dedititiæ conditionis, ſed ſine certo ſtatu in libertate morabantur cum poſteris ſuis Latinis colonariis & proprie quidem libertinis (*), exæquavit, (Vid. *Fragm. veteris ICti*, §. 8. *pag.* 18. *edit.*

(*) Sic locus ille *veteris ICti*, a multis tentatus, ut ex *Codd.* MSS. editus eſt a *Cl. Rövero*, commodum accipit ſenſum, ut proxime pluribus oſtendam in *Bibliotheca Miſcellanea Hamburgenſi.*

edit. Röveri) ita tamen ut Latinorum conditionem non tantum confirmaverit, ſed & novis beneficiis ampliaverit. Quando ergo ex Latinis illis civis Romanus erat efficiendus, non neceſſe erat, ut tunc demum omnia illa, quæ ad jus civitatis conſequendum neceſſaria erant, jura acciperet, quia jam varia antea habebat: ſed neceſſe tantum erat, ut in ſupplementum & iſta acciperet jura, quæ hactenus illi defuerant, quibuſque civis Romanus carere haud poterat. Puto igitur poſt legem Juniam Norbanam ſpeciali aliquo ſenſu complexum jurium illorum civitatis Romanæ, quæ Latinis adhuc deerant, quominus eſſent Quirites, ſive cives Romani, vocatum fuiſſe jus Quiritium. Jus ergo Quiritium cum jure Latinorum ſimul ſumtum totum jus civitatis Romanæ complectebatur, eo tamen diſcrimine, ut Latini libertini per jus Quiritium illa tantum conſequerentur jura, quibus gauderent cives Romani libertinæ conditionis; Latini vero ingenui illa etiam jura quibus utebantur cives ingenui Plebei. Hæc eſt mea qualiscunque ſententia, quam aliis libenter examinandam relinquo. Ea mihi hoc ſaltem commodum ſecum afferre videtur, ut, ſi quid ego video, iis careat difficultatibus, quibus aliæ premuntur, & nulli veterum teſtimonio repugnet, ſed potius ex illa veteres ſcriptores, Plinius præſertim & Ulpianus, optime explicari poſſunt. Quod enim ad PLINIUM attinet, jam ratio facile reddi poteſt, cur ille pro peregrinis roget jus civitatis: pro libertis vero Latinis jus Quiritium: nam illis quidem prodeſſe non potuiſſet jus Quiritium, niſi prius impetraſſent jus Latinorum; his vero nihil amplius, quam jura Quiritium deerant, & hisce

hiſce impetratis, jam cives erant Romani. Ulpianus quoque nunc optime ſibi conſtat, & ſine omni erroris, contradictionis, vel tautologiæ metu quam accuratiſſime loquitur. Nimirum ſenſus loci illius laudati eſt: quando Latinus ab Imperatore jus Quiritium (in ſpecie ſcilicet ſic dictum, quod ei hactenus tantum deerat, quo minus eſſet civis Romanus) impetravit, tunc ex ipſo beneficio hocce principali accipit totam civitatem Romanam, vel fit civis Romanus, quia nunc ei ad jus civitatis iſtius nihil amplius deeſt. Sic igitur videmus jus Quiritium in ſpecie ſic dictum fuiſſe beneficium aliquod, quod ſolis concedebatur Latinis ut eo ipſo cives plane fierent Romani. Videmus etiam exinde, jus Quiritium hoc ſenſu opponi magis juri Latinorum, quam juri civitatis. Videmus denique, jus Quiritium novum huncce ſenſum ſpecialem poſt legem demum Juniam Norbanam accepiſſe.

Id tamen monere adhuc debeo, poſtea quoque non ſemper diſcrimen hocce a ſcriptoribus etiam accuratiſſimis fuiſſe obſervatum, ut vel ipſe Ulpianus nobis exemplo eſſe poteſt. Is enim §. 6. hujus *tit.* dicit: *Nave Latinus civitatem Romanam accipit*: quum tamen accuratius dicere potuiſſet: *jus Quiritium accipit*, ut vel ex ea collatione hujus loci cum loco Suetonii in *Claud. cap.* 19. apparet. Quando vero Ulpianus §. 4. hujus *tit.* dicit: *Iteratione fit civis Romanus*: tunc ſatis accurate loquitur: nam in iteratione illa non conſiderabatur ut Latinus: (tanquam Latinus enim non potuiſſet manumitti) ſed ut ſervus: perinde ergo erat, ac ſi tunc demum ex ſervo fieret civis Romanus: aut, ſi cui hæc ratiocinatio nimis ſubtilis videretur, is locum ita accipe- 37.

re poteſt, ac ſi Ulpianus dixiſſet: Latinus per iterationem accipit jus Quiritium, & eo ipſo fit civis Romanus. Hæc de diſtinctione illa nobiliſſima inter jura civitatis & Quiritium dixiſſe ſufficiant: jam ad alia pergendum eſt.

38. Ex hiscc, quæ hactenus explicavimus, jam abunde elucere arbitror, magnum admodum inter ipſos cives Romanos fuiſſe diſcrimen, neque omnes omnino cives uno eodemque jure uſos fuiſſe. Alio ſane jure utebantur cives ingenui, alio libertini: (de quorum diſcrimine alio loco latius differendi erit occaſio) porro alio jure utebantur cives, qui in urbe agrove Romano domicilium habebant; alio, quibus extra agrum Romanum domicilium erat: inter hos alio jure utebantur cives qui in Italia; alio, qui in provinciis ſedem conſtituerunt. Item alio jure utebantur cives in municipiis, alio in coloniis, alio in præfecturis aliisve civium Romanorum oppidis habitantes: (qua de re etiam alibi pluribus erit dicendum) alio denique jure cives, qui nulli certo civium Romanorum oppido adſcripti, ſed proprio quodam jure ſuo civitate Romana gaudebant, quos honorarios antecedenti capite vocavimus.

39. Quando vero dicimus omnes hosce cives diverſo uſos fuiſſe jure, hoc utroque ſenſu verum eſt, ſive jus ſumatur pro attributo perſonarum, hoc eſt, pro prærogativis illis, quibus cives Romani gaudebant; ſive ſumatur pro lege, aut complexu legum, quibus incolæ in imperio Romano utebantur. Si jus accipiatur in priori ſenſu, tunc, mea quidem opinione, omnes omnino cives iis gaviſi ſunt juribus, quæ ad privata commoda ſtatumque privatum pertinent: (excepto tamen jure connubii, quo non omnes ſem-

ſemper, optimo ſaltem jure, gaudebant cives) non vero iis prærogativis, quæ ad publicum civitatis ſtatum referuntur. Sic jure quidem cenſus gaudebant omnes ſine dubio illi, qui in certa tribu & centuria erant: de reliquis vero id valde dubium eſt, num in cenſum fuerint relati: v. g. municipes ſine jure ſuffragii, cives ob delictum in cæritum tabulas relati, cives honorarii, nulli certo oppido adſcripti: qua de re alibi erit dicendum. In jure tributorum & vectigalium non una quoque eademque omnium civium conditio fuit, præcipue ratione bonorum immobilium: qua de re alio etiam loco agendi erit occaſio. Jure militiæ legionariæ carebant libertini, proletarii & capite cenſi. Jure ſacrorum carebant cives, qui in aliis civium Romanorum oppidis, quæ propriis ſuis ſacris utebantur, domicilium habebant. Immo ad quædam ſacra, Curialia ſcilicet, illi tantum admittebantur, qui in ipſa urbe domicilio erant inſtructi. Jure ſuffragiorum omnes illi carebant, quibus vel jus civitatis ſine ſuffragio communicatum, vel quibus in pœnam hæc prærogativa erat erepta, immo omnes illi, qui non fruebantur jure cenſus. Jure honorum petendorum & gerendorum carebant non tantum omnes illi, qui a ſuffragiis erant excluſi, ſed & alii præterea, qui ob delictum ab honoribus prohibebantur, nec non omnes etiam libertini, proletarii, capite cenſi, quibusque cenſus definitus deerat: immo omnes illi, qui Romæ domicilium non habebant. Licet enim *Ezechiel Spanhemius* in *Orbe Rom. Exerc.* II. *cap.* 20. dicat, ſub Imperatoribus hoc fuiſſe neglectum: ego tamen dicere malo, Imperatores ſtatuiſſe, ut omnes illi, quibus honores confere-

ſerebantur, in urbe quoque domicilium habere, per fictionem ſaltem, cenſerentur, ſive Imperatores per ipſos honores jus quoque domicilii in urbe Roma, ſive veteri, ſive nova, contuliſſe. (*Arg.* L. 11. D. *de ſenatoribus.*

40. Si contra jus ſumatur pro legibus, ſive complexu legum, tunc incolæ quoque orbis Romani, non peregrini tantum, ſed ipſi etiam cives, pro diverſis, ubi habitabant, locis, diverſis itidem juribus utebantur. Alio enim jure utebantur in ipſa urbe Roma ejuſque proprio territorio: alio in Latio cæteraque Italia: alio in provinciis: alio in municipiis: alio in coloniis: alio in præfecturis: alio in oppidis liberis & fœderatis. Licet enim provinciæ, præfecturæ, & pro parte etiam coloniæ, jure a Romanis præſcripto uti deberent: non utebantur tamen eodem prorſus jure, quo in urbe cives, ejuſque proprio territorio: id quod alio commodiori loco accuratius & uberius a nobis erit declarandum.

41. Fuerunt quidem tempore liberæ reipublicæ generales quædam leges, quæ ad omnes in imperio Romano, cives maxime, pertinebant: ſed tales plerumque, quæ ad ſtatum magis publicum reipublicæ, quam ad controverſias privatorum pertinebant: ut adeo contrario prorſus modo hic res ſeſe habuerit, ac in priori juris ſignificatione annotatum fuerit. Sæpe tamen numero ab aliis oppidis populiſque ſponte leges, ad jus etiam privatorum pertinentes, accipiebantur, qui ideo *fundi facti* dicebantur: id quod præcipue in Italia poſt acceptam per legem Juliam civitatem factum fuiſſe videtur. (Vid. GELLIUS *Noct. Attic. lib.* IV. *cap.* 4. CICERO *Orat. pro Balbo cap.* 8.) Quin & per ipſam juris civitatis communicationem

nem in multis ipſius juris civilis (quatenus hoc
inprimis cum ipſis civium Romanorum juribus
ſingularibus habet connexionem) communionem
quoque contigiſſe alibi latius declarabo. Præci-
pue tamen Imperatores id ſerio egerunt, partim
per Edicta perpetua, partim per Conſtitutiones
& Reſcripta ſua, (vid. L. 3. §. 5. D. *de ſepul-
cro viol.*) ut ſenſim magis magiſque juris unifor-
mitas in imperio Romano introduceretur: id
quod maxime factum eſt, poſtquam omnes quoad
jus civitatis homines coæquati ſunt. Licet vero 42.
poſt communicatam cum omnibus in orbe Ro-
mano ingenuis civitatem, magnum illud diver-
ſorum jurium diſcrimen paullatim fuerit imminu-
tum, & per Imperatores juris uniformitas ſenſim
fuerit introducta; non tamen hoc ita eſt intelli-
gendum, ac ſi non amplius ulla ſupereſſent op-
pida, quæ propriis ſuis legibus gauderent: immo
multa potius adhuc ſuperfuiſſe, quibus autono-
mia conceſſa, late probavit *Ezechiel Spanhemius*
in *Orbe Romano*. Cui viro doctiſſimo in eo ta- 43.
men non aſſentior, quando *Exercit.* II. *cap.* 8.
ſtatuit, poſt Antonini Caracallæ celebrem illam
Conſtitutionem ceſſaſſe prorſus diſcrimen inter
Edictum urbanum & provinciale. Multo minus
facio cum B. *Joh. Gottlieb Heineccio*, qui in *Præ-
fatione* ad editionem *Hallenſem* doctiſſimi libri
laudati, & in *Hiſtoria Juris*, *lib.* I. §. 275. *pag.*
269. *ſeq. edit. noviſſ.* exiſtimat, ab initio ſtatim
urbanum & provinciale Edictum fuiſſe unum
idemque: id quod ipſarum ſane provinciarum
ſtatus, in multis utique a ſtatu urbis diverſus,
haud admittebat. Licet enim utrumque edictum
unius Imperatoris auſpiciis, ab eodemque aucto-
re, (quod mihi quoque haud improbabile ſit)

I 5 fue-

fuerit compilatum; licet etiam utraque in multis inter ſe, & quoad res, & quoad ordinem maxime conſpiraverint: ſine omni tamen dubio in variis quoque capitibus inter duo hæcce Edicta diſcrimen aliquod interceſſit, id quod vel exinde apparet, quod CAJUS ſeparatos Commentariorum libros ſcripſerit ad Edictum urbanum, ſeparatos vero ad Edictum provinciale. Neque hæc etiam differentia poſt Antonini Caracallæ Conſtitutionem prorſus ceſſavit. Licet enim cum omnibus in orbe Romano hominibus ingenuis jus civitatis per illam fuerit communicatum: ipſæ tamen nihilominus provinciæ in ſuo priſtino permanſerunt ſtatu, neque illæ per hancce conſtitutionem ullam paſſæ ſunt mutationem: ergo etiam poſtea non poterat in omnibus eodem modo jus dici in ipſa urbe ac in provinciis. Hinc ſine dubio quemadmodum adhuc diverſa diverſorum locorum atque regionum jura manſerunt: ita quoque hæcce duorum generum edicta permanſerunt diverſa, donec per Imperatorem tandem JUSTINIANUM unum atque uniforme jus in toto Imperio Romano, quatenus ab eo regebatur, fuerit introductum.

44. Quamvis vero magnum fuerit inter ipſos cives Romanos diſcrimen, ut hactenus generatim veluti in tabula expoſui: multo tamen majorem fuiſſe differentiam inter cives & peregrinos neceſſe eſt. Peregrini vero in genere vocantur omnes homines liberi, qui jure civitatis Romanæ deſtituuntur: licet interdum hæc vox alio ſumatur ſenſu, ut docuit *Ezechiel Spanhemius* in *Orbe Romano*, *Exerc*. II. *cap*. 22. Immo rurſus inter hoſce ipſos, qui ita generali peregrinorum appellatione mactantur, quatenus ſcilicet ſub

Digitized by Google

ſub Imperio Romano vivebant, magnum interceſſit diſcrimen. Alio enim jure utebantur Latini, alio Itali, alio provinciales, alio denique populi fœderati & liberi. Hinc de hiſce etiam paucis eſt agendum. Qui primus poſt renatas 45.
litteras hocce diſcrimen attigit, fuit is, qui judice *Briſſonio*, (*ſelect. Antiqq. lib.* II. *cap.* 14.) primus horridam & incultam Juriſprudentiam bonarum litterarum luce illuſtravit, Andreas nimirum Alciatus. Sed nondum tanta illis temporibus lux affulgebat, ut tuto viam hanc undique impeditam ingredi potuerit. Dum ergo bonus ille vir aliis viam monſtrare cupit, ipſe incidit in errorum labyrinthum, non ſua ſane culpa, ſed temporum iſtorum infelicitate. Pauca tantum ſpeciminis, & ſimul quoque cautionis gratia notabimus. Recte vir ille doctus *Diſpunct. lib.* II. *cap.* 21. ad L. 33. D. *ad municipal.* notat, ad Romam communem patriam appellandam non ſufficere, ſi dicamus, id ideo fieri, quia omnes ibi poſſunt conveniri: (id enim conſequens magis, quam cauſa eſt) ſed Romam potius ideo communem vocari patriam, quia fons eſt juris civitatis Romanæ, ita, ut exinde, tanquam ex communi fonte, jus civitatis in totum orbem Romanum manaverit. Quemadmodum enim omnes olim municipes duplicem habebant patriam, communem, Romam ſcilicet; & propriam, ſuum quiſque municipium: ita poſt communicatam cum omnibus civitatem, omnes quoque in orbe Romano incolæ duplicem habebant patriam, Romam ſcilicet, & propriam quique ſuam patriam. Quum enim omnes eſſent cives Romani, non poterant quoque non Romam patriam ſuam agnoſcere, ita tamen ut naturali ſive ori-

originali patriæ ſuæ propterea non eximerentur. Sed hæc pluribus cum apparatu expoſuit *Ezechiel Spanhemius* in *Orbe Rom. Exerc.* II. *cap.* 6. Porro recte quoque ibidem monet Alciatus, (quod etiam pluribus perſequitur *Parerg. lib.* I. *cap.* 14.) Romanos populos devictos non una eademque habuiſſe conditione. De Latinis in ſpecie quam rectiſſime dicit, Romanos illos non tam pro ſubditis habuiſſe, ſed eos in ſocietatem potius admiſiſſe. Quid enim notius, quam Latinos ſocios ſemper vocari. Immo non tantum erant antiquiſſimi ſocii, ſed & æquiſſimo fœdere juncti, ita ut præ aliis ſociis prærogativa ſemper quadam gauderent. Vocat DIONYSIUS HALICARNASSEUS hanc ſocietatem pluribus locis ἰσοπολιτείαν, quia Latini in quibusdam rebus civitatis Romanæ quaſi participes erant; ex quo tamen haud concludendum, eos in totam ipſius civitatis Romanæ communionem fuiſſe admiſſos, id quod ante legem Juliam factum non conſtat. Hactenus quidem recta via incedere vidimus Alciatum; jam vero a recta nonnihil via aberrare incipit, quando putat, Romanos ita Latinos in ſocietatem admiſiſſe, ut jus militandi haberent in legionibus Romanis, immo hos quoque in legionibus magiſtratus militares, ut Decurionatus, Tribunatus, Præfecturas Caſtrorum gerere potuiſſe. Debuiſſet ſane vir iſte doctus vel ex ſola LIVII (cui ipſe teſtimonium denuntiat) lectione diſcere, ſocios Latinos, ut ut ſemper legionibus additos, ab ipſis tamen legionibus ſemper manſiſſe diſtinctos. Non enim ita ſunt additi legionibus, (ut forſan putavit Alciatus) ut in ipſis legionibus numerum facerent: ſed potius ita, ut ab ipſis legionibus ſocii ſemper manerent diſtincti. Nam in ipſis quidem legionibus non niſi

cives

Digitized by Google

cives Romani ingenui militare poterant: multo minus ergo Latini in iis dignitates, ſive eos magiſtratus militares, ſive præfecturas ſenſu generali vocare velis, gerere potuerunt. Ipſi tamen ſocii Latini a propriis ſuis præfectis regebantur: quæ omnia hodie ſunt notiſſima. Valde quoque labitur bonus ille Alciatus, quando putat, illam, quam Latinis, invitis Romanis, largitur prærogativam, vocatam fuiſſe *jus Latii veteris*, *ea ratione*, (ſunt propria ejus verba) *quoniam ſubſequente tempore Latinis ſociis jus quoque in urbe Roma adipiſcendi honores indultum fuit, ferebantque una cum Romanis tribubus ſuffragia, plerumque & ipſi magiſtratus deligebantur, unde non jam jus Latii habere dicebantur, ſed jus civitatis.* Hæc omnia meram ſapiunt confuſionem: neſcivit enim Alciatus, qua ratione Romani diſtinxerint Latium vetus & novum. Non enim diſtinctionem fecerunt pro diverſo diverſorum temporum jure, ut aliud eſſet jus Latii veteris, aliud jus Latii novi. Sed diſtinxerunt potius pro diverſis regionibus inter vetus & novum Latium. Regio enim illa, quæ primis tantum temporibus Latii nomine mactabatur, Latium vetus eſt vocata: poſtea vero & alios populos ſub Latinorum nomine comprehenderunt, illisque jus Latii quoque largiti ſunt Romani: hinc regio illa, ubi hi habitabant, vocabatur jam Latium novum: ut poſt Sigonium docuit *Joh. Gottlieb Heineccius* in *Syntagmate Antiqq. App. ad lib* I. §. 76. [Alio ſenſu jus, non tam Latii veteris, quam potius Latinorum veterum, ante legem ſcilicet Juliam, opponi poteſt juri Latinorum colonariorum & Junianorum: quod tamen huc non pertinet.] Recte vero ſe habet, quod Alciatus ipſe agno-

agnoſcat, Latinos, poſtquam jus ſuffragii & honorum in urbe Roma adepti ſunt, non tam jus Latii, quam civitatis habere dictos fuiſſe. Immo tunc non amplius, ut olim, ſocii Latini, ſed cives potius Romani vocabantur. Exinde vero merito concludere debuiſſet, hoc nihil ad jus Latii pertinere, adeoque hujus juris reſpectu, jus illud, quod antea tantum obtinuerunt, non jus Latii veteris dici potuiſſe. Si vero Alciatus putat, univerſos Latinos jus civitatis multo ante cæteros Italos conſecutos fuiſſe, ut eum exiſtimaſſe fere ex connexione cum ſequentibus concludo, erravit utique: una enim eademque lege, Julia ſcilicet, & Latini univerſi, ſimul cum ipſis cæteris Italis, jus civitatis Romanæ conſecuti ſunt, ut luculenter ex GELLIO *Noct. Attic. lib.* IV.
46. *cap.* 4. apparet. Deinde de Jure etiam Italico ſuam aperit ſententiam Alciatus hiſce verbis: *In titulo* D. de Cenſibus *referuntur civitates, quæ habent jus Italicum, id eſt, quorum incolæ adipiſci poſſunt in urbe Roma magiſtratus, & ſunt immunes.* Ultimum, quod ponit ille verum eſt, ſi de immunitate a tributo ſoli & capitis ſumatur, ut in ſequentibus magis declarabitur: prius vero eſt falſiſſimum. Licet enim Itali poſt legem Juliam jus ſuffragii & honorum in urbe Roma (dummodo tamen, ſi honores ibi gerere volebant, Romam domicilium quoque transferrent) nacti ſunt: nihil tamen hoc cum jure Italico habet commune: ſed pertinet ad ipſum potius jus civitatis Romanæ, quod cum Italis quidem eſt communicatum per legem Juliam, non vero cum aliis, qui extra Italiam in locis, jure Italico donatis, habitabant, niſi illi proprio aliquo jure civitate quoque Romana gauderent. Verum tamen eſt,

quod

quod ſequitur apud Alciatum: *Non tamen ſemper jus civitatis cum jure ſuffragii conceſſum. Pluri- mis nationibus jus civitatis conceſſum tantum hono- ris cauſa, non ut immunitatem haberent.* Hoc optime ex illis intelligitur, quæ ſupra monui: videndum nimirum eſſe, num jus civitatis concedatur hominibus tantum ſine reſpectu bonorum, vel locorum: an vero locis ipſis jus civitatis detur. Potuit enim civis Romanus reſpectu bonorum, quæ poſſidebat, tributo eſſe obnoxius. Unde etiam recte addit Alciatus, Antoninum illum, qui jus civitatis cum omnibus in orbe Romano ingenuis communicavit, non propterea omnibus immunitatem conceſſiſſe. Immo, tantum abeſt, Antoninum illum (quem Caracallam eſſe hodie tyrones norunt: Alciati tempore ne viri quidem doctiſſimi) per ſuam Conſtitutionem omnibus immunitatem conceſſiſſe, ut potius unice in fiſci commodum jus civitatis cum omnibus communicaverit. Sed jus quoque civitatis per ſe non involvebat immunitatem: immo cives quibuſdam potius oneribus gravabantur, (veluti vigeſima hereditatum & manumiſſionum) a quibus cæteri erant immunes. A tributo ſoli & capitis jus Italicum locis conceſſum præſtabat immunitatem: non vero jus civitatis.

Ex hiſce igitur perſpicimus, Alciatum non- 47. nulla quidem, quæ ad hanc doctrinam pertinent, quaſi per nebulam vidiſſe, in plurimis tamen illum adhuc in tenebris ambulaſſe: id quod annotaſſe operæ pretium fuit. Primus vero, qui lucem accendit, quique rectam aliis viam, qua eundum eſt, monſtravit, fuit *Carolus Sigonius*: ita, ut qui eam poſtea viam plane deſeruerunt, ab ipſa quoque veritate toto, quod ajunt, cælo aber-

aberraverint: id quod ſuo exemplo in primis docuit celebris ille Gallus ex S. I. *Johannes Harduinus*: (qui quædam eſt Alciato ſumſiſſe videtur, quæ majoribus tamen difficultatibus implicavit.) Cujus infelices conatus jam alii (Ezechiel Spanhemius præſertim) detexerunt, ut nobis hac in parte ferias feciſſe videantur. Non tamen Sigonius ita planam, expeditam & excultam hanc, quam primus ſtravit, viam reddere potuit, ut non aliis ad hoc perficiendum ſatis laborum reliquerit. Feliciter præ aliis hac in re verſati ſunt duo viri doctiſſimi, B. *Ezechiel Spanhemius* in præclaro opere, quod inſcribitur: *Orbis Romanus*: & vir ille celeberrimus, qui Noricam academiam adhuc ſua eruditione illuſtrat, *Chriſtianus Gottlieb Schwartzius* in Diſſertatione *de Jure Italico*, edita primum 1720. recuſa 1741. Sed dum propria experientia edocti ſumus, ſupereſſe adhuc difficultates quaſdam, quas ipſi ægre, & non niſi poſt feriam meditationem eluctati ſumus, periculum faciam, num aliis faciliorem hancce viam reddere queam. Ad hoc vero præſtandum generales quædam notiones præmittendæ veniunt.

48. Homines liberi (quatenus ſcilicet ſervis opponuntur) in orbe Romano, ut ſupra jam indicavimus, gaudebant vel jure civitatis, vel jure Latii, vel jure Italico, vel jure provinciali, vel denique ſpeciali libertate & proprio quodam jure, quod vel ex privilegio, vel ex fœdere oriebatur. Quæritur ergo, num eadem quoque pro diverſis juribus fuerit diſtinctio prædiorum, ſive bonorum immobilium. Fui olim in hac ſententia, ut videre quodammodo licet ex Tractatione mea *de Teſtamenti factione*, *cap.* III. §. 8. *pag.* 70.

Sed

Digitized by Google

Sed re accuratius deliberata, reperi, prædia (de privatis loquor, non de publicis proprie ſic dictis, quæ non tantum quoad dominium, ſed etiam quoad adminiſtrationem in patrimonio reipublicæ erant) non niſi in Italica & Provincialia dividi ſolere apud Romanos: nuſquam enim neque in jure Romano, neque in veteribus ſcriptoribus aliam reperi diviſionem ratione prædiorum. Prædia ergo Italica erant, in quibus jus civile locum habebat, quæque adeo pleno jure in dominio juris civilis, ſive Quiritario privatorum eſſe poterant; quæ erant mancipi; & hinc civili quoque modo alienari poterant; in quibus ſolis uſucapio quoque locum habebat, quæ ſola denique in cenſum poterant deferri, & hinc *cenſui cenſendo vocabantur*, quæ omnia ſecus ſe habebant in prædiis provincialibus. Hæc enim nunquam eſſe poterant in dominio juris civilis, ſive Quiritario: ſed vel erant tantum in domino naturali, (ut prædia liberarum gentium & civitatum) vel erant in ſupremo populi ſive reipublicæ Romanæ dominio, (qualia vocabantur vectigalia, tributaria, ſtipendiaria, publica in ſenſu lato, & provincialia in ſenſu ſtricto) & hinc plane ne in dominio quidem pleno naturali privatorum eſſe poterant. Non erant mancipi, immo proprie ne quidem nec mancipi vocari poterant, (ut nuper præclare docuit V. *Nobiliſſimus Gerardus Meerman* in eruditiſſima diſſertatione *de rebus mancipi & nec mancipi*, §. 125. & nos quoque alio loco latius probabimus) & hinc etiam ſecundum jus civile non poterant alienari, ſed naturali tantum modo alienabantur. (Immo prædia provincialia ſtricte ſic dicta proprie ne naturaliter quidem alienabantur, niſi quoad poſſeſſionem & faculta-

tem utendi fruendi) Porro uſucapio quoque in iis locum non habebat: denique in cenſum etiam haud deferebantur: quæ omnia alio loco pluribus erunt explicanda. Quia vero prædia Italica in dominio civili & Quiritario eſſe poterant, hinc forſan in errorem quidam inciderunt, ut putarent, Jus Italicum & Quiritium eſſe unum idemque: a quo errore nunc facile cavebunt, poſtquam didicerint, aliud eſſe jus hominum, aliud locorum ſive prædiorum. Homines enim qui jure Italico tantum gaudebant, non propterea erant participes juris civitatis & Quiritium. Si vero prædia erant jure Italico donata, tunc in illis dominium Quiritarium locum habebat, aſt ſi re vera deberent eſſe in dominio Quiritario, neceſſe quoque erat, ut & poſſeſſor juris Quiritium ſive civitatis eſſet particeps, eaque legitimo & civili modo adquiſiviſſet. Hinc exinde quoque, quod in prædiis juris Italici nexus & mancipatio locum haberet, tuto colligi nequit, Italos, antequam jus civitatis Romanæ impetrarunt, juris quoque nexus & mancipationis participes fuiſſe, ut conjeciſſe videtur *Henricus Noriſius* in libro *de Epochis Syro-Macedonum*, *Diſſert.* IV. *cap.* 5. §. 2. *pag.* 428. (*pag.* 448 *tom.* II. *Operum*) & ex eo refert, dubitanter tamen, B. *Joh. Gottlieb Heineccius in Synt. Antiqq. App.* ad *lib.* I. §. 97. Si tamen dicendum, quod res eſt, ne doctiſſimum quidem Noriſium hoc ſtatuiſſe exiſtimo: non enim ibi loquitur de Italis antiquis: ſed de coloniis juris Italici extra Italiam: & recte quidem dicit, jus Italicum præter immunitatem ſoli & capitis alia quoque comprehendiſſe privilegia, *quæ quidem* (ſunt verba ejus) *conſiſtebant in alienationibus, traditionibus nexi, mancipationibus, annali*

nali exceptione, *in jure capiendi*, [*uſucapiendi* ſine dubio legendum) *aliiſque actibus*, *qui incoloniis juris Italici fieri poterant*, *eo jure*, *quo in Italico ſolo celebrabantur*.

Ut vero hæc omnia, quæ dixi, quæque ad- 49.
huc erant dicenda, clariora evadant, ante omnia, ut diverſas juris Italici ſignificationes paullo accuratius enucleemus, neceſſe erit: hoc enim neque *Sigonius*, neque *Spanbemius*, neque etiam *A. Schwartzius* (ut ipſos tantum in hac doctrina heroës nominem) ſatis præſtiterunt. Laudatiſſimus quidem Schwartzius diverſas ſtatuit juris Italici periodos: ſed quia in iis jus Italicum diverſo modo accipitur, illæ, niſi hæc, quæ dicam, præmittantur, ad confuſionem magis, quam diſtinctionem, anſam præbere poſſunt. Dico igitur jus Italicum duplici modo accipi poſſe, vel pro jure hominum, ſive perſonarum; vel pro jure locorum; ſive prædiorum. Priori modo duplici iterum ſenſu accipi poteſt: ſenſu enim lato jus Italicum ſignificat jus illud, quo homines in tota Italia utebantur ſub Imperio Romano: quod forſan accuratius jus Italorum dici poſſet. Senſu vero proprio & ſtricto jus Italicum ſignificat jus illud, quo populi Italici, id eſt extra Latium in Italia habitantes, utebantur ab eo tempore, quo in Romanorum ditionem conceſſerunt, uſque dum civitatem Romanam impetrarunt. Hoc ſenſu jus Italicum exſpiravit poſtquam Italis per legem Juliam jus civitatis Romanæ datum eſt: priori vero ſenſu nunquam exſpiravit durante imperio Romano: ſemper enim, quemadmodum incolæ ipſius urbis Romæ præ Italis, etiam civibus; ita quoque Itali præ aliis hominibus prærogativis quibusdam gaviſi ſunt, etiam poſtea,

 quam

quam civitas cum omnibus provincialibus fuerit communicata. Poſteriori modo duplici itidem ſenſu Jus Italicum accipi poteſt. Primo enim generatim ſignificat prærogativas illas, quibus Italia præ cæteris imperii Romani regionibus gaudebat. Quemadmodum enim ipſa urbs Roma præ Italia variis gauderet prærogativis, ita etiam Italia præ provinciis non minus multis prærogativis gavíſa eſt: qua in re quoque per communicatum cum provinciis jus civitatis nullam factam fuiſſe mutationem conſtat. Sed hasce prærogativas complecti mallem ſub denominatione Juris Italiæ, quam juris Italici: verum a doctoribus confundi ſolent cum jure Italico eo ſenſu, qui jam ſequitur. Ultimo enim loco Jus Italicum ſignificat jus illud ſingulare locorum, vel prædiorum, ſive in ipſa Italia ſitorum, ſive extra Italiam jure hoc Italico donatorum, quod illis competit præ locis ſive prædiis provincialibus. Et hoc famigeratiſſimo ſignificatu jus Italicum plerumque in jure Romano accipitur. Vocatur talis locus, ſive prædium, Solum etiam Italicum, ſive Fundus Italicus, & opponitur ſolo ſive fundo provinciali: & Coloniæ hoc jure donatæ dicebantur Coloniæ Italicæ, ſive Juris Italici, & opponebantur coloniis provincialibus. Et hoc quidem ſenſu jus Italicum nullo modo per Conſtitutionem Antonini Caracallæ fuit ſublatum, immo ne plane quidem fortaſſis, ut plerumque exiſtimant ICti, a Juſtiniano Imperatore ſublatum eſſe, ſtatui poteſt. Licet enim in plurimis Inſtinianus diverſos juris Italici & provincialis effectus ſuſtulerit, probari tamen nequit, illum in totum jus Italicum ſuſtuliſſe, ut infra latius declarabitur. Hisce præſtructis jam me-

melius intelligi poterunt, quæ viri docti hactenus de jure Italico tradiderunt, immo & dubia, quæ circa hanc doctrinam ſe exſerunt, melius omnino poterunt dijudicari & removeri. Primo igitur loco ſpeciminis gratia, ea, quæ *Celeberrimus Schwartzius* in doctiſſimo *Diſſertatione de jure Italico* hac de re ſcripſit, paucis (quod ut pace ejus fiat enixiſſime rogo) expendere volo, ita quidem, ut ordinem ejus exacte ſequar, quantum per methodi leges permiſſum mihi hoc erit.

Cap. I. §. 1. *Cel. Schwartzius* dicit, Sigonium 50.
egiſſe tantum de jure Italiæ antiquæ, perpauca vero eum attuliſſe de jure Italico, quale ſub Cæſaribus viguit. Sigonius nimirum jus Italicum eo protiſſimum ſumſit ſenſu, quem ſupra ſecundo loco expoſui: paucis tamen etiam egit de jure Italico ſenſu ultimo, in cæteris vero ſignificationibus hocce vocabulum non ſumſit, quum eæ haud propriæ ſint, ſed rectius jus Italorum & jus Italiæ vocentur, ut paullo ante monui. Cel. Schwartzius vero latiorem ſibi campum percurrendum propoſuit, adeoque & vocabulum in latiori ſenſu accepit.

§. 2. Dicit vir laudatus, jus Italicum ab Italia, cujus populis primum illud jus proprium fuit, nomen duxiſſe. Immo, nomen ducit non tantum ab Italia, regione; ſed etiam ab Italis, populis: & hinc complectitur & jus hominum, & jus locorum. Sumit enim Celeb. Schwartzius jus Italicum in omnibus quatuor iſtis ſignificationibus, quas ſupra expoſui, & hinc recte quoque diverſas facit periodos. Siquis vero & ratione hominum & ratione locorum ſtrictiori ſenſu hocce jus accipere malit, tunc hiſce forſan periodis facile poſſet carere. Rectiſſime ve-

Digitized by Google

ro a tota hac tractatione ſua removit tempus illud, antequam Italia ſub Romanorum imperium pervenit, quippe quod plane ad jus Italicum, quocunque ſumatur ſenſu, non pertinet. Jus vero Italicum ex ſolis fœderibus cum Italis deducit Sigonius. Poſſent addi adhuc duo alii fontes: nimirum tum ſpontanea Romanorum conceſſio, tum jus civile Romanorum. Nam Romani ſine expreſſo fœdere & Italis & Italiæ quasdam interdum conceſſerunt prærogativas, eaſque interdum quoque per legem confirmarunt: immo & ex interpretatione legum per ICtos jura quædam orta & ſtabilita fuiſſe videntur. Prima & ſecunda, ex Cel. Schwartzii mente, juris Italici periodus ad jus Italicum in ſenſu proprio & primario, quatenus pro jure hominum ſive perſonarum ſumitur, pertinet. Reliquæ vero, quas ſtatuit, periodi pertinent tantum ad jus Italicum in ſenſu generali, ſive potius ad jus Italorum & Italiæ. Nam poſt legem Juliam non amplius utebantur jure Italico proprie ſic dicto Itali, ſed gaudebant potius jure civitatis Romanæ, id quod ad confuſionem evitandam probe eſt notandum. Quando enim Cel. Schwartzius §. 4. dicit: *Per legem Juliam & Plotiam non exiguæ juris Italici acceſſiones factæ ſunt, idque ad optimum jus civium Romanorum aſſurgere cœpit:* tunc vocabulum juris Italici in ſenſu generali eſt accipiendum pro jure Italiæ, ſive Italorum. Nam jus Italicum ipſum proprio ſenſu nullas per iſtas leges accepit acceſſiones: verum Itali potius per legem Juliam & Plotiam melius acceperunt jus, quam quo antea utebantur, jus ſcilicet civitatis Romanæ: ut adeo juri Italico, quatenus pro jure hominum ſumitur, poſt iſtas leges nullus amplius locus

locus, ne in ipſa quidem Italia ſuperfuerit. Porro negotium faceſcit Gellius *Noct. Attic. lib.* IV. *cap.* 4. qui dicit, lege Julia Latio civitatem datam fuiſſe: de reliqua vero Italia nihil addit. Hinc Cel. Schwartzius opinatur, Gellium vel Latii vocabulum in latiori accepiſſe ſenſu, vel eum ideo tantum Latii mentionem feciſſe, quia illa prius quam cætera Italia exinde civitatem accepit. Sed valde vereor, ne hæ rationes cum mente Gellii conveniant. Mihi ſimpliciſſima ratio videtur, Gellium ideo ſolius tantum Latii mentionem feciſſe, quia in toto illo loco de ſolo tantum Latio ſermo fit: minime vero propterea negare vult, reliquam etiam Italiam ex iſta lege civitatem accepiſſe. Recte vero Cel. Schwartzius in fine hujus §. 4. notat, Syllam conatum quidem fuiſſe, Italicis Populis & civitatibus quibusdam jus civitatis eripere: ſed legem ejus non fuiſſe obſervatam. Unde obiter notare volo errorem *Nicolai Gruchii* in libro *de Comitiis*, *lib.* I. *cap.* 3. qui ex hocce Syllæ conatu concludere voluit, nec omnes quidem cives in Italia poſt legem Juliam habuiſſe plenum jus civitatis, adeoque nec omnes jure ſuffragii gaviſos fuiſſe.

Ad §. 5. annoto, *Henricum Valeſium*, quando in *notis* ad *Ciceronis Orat. pro Balbo*, *cap.* 8. dicit: *Lex Julia & ipſa pertinebat ad jus privatum populi Romani, ut lex Furia & Voconia*: ſine omni dubio erraſſe: id quod facile apparebit, modo prius annotaverim, jus tam publicum, quam privatum duobus modis accipi poſſe. Quemadmodum enim jus in genere ſumitur vel pro attributu perſonarum, vel pro lege, ſive complexu legum: ita utroque ſenſu illud in publicum & privatum dividi poteſt. Quando jus ſumi- 51.

tur pro lege, ſive complexu legum, tunc jus publicum complectitur leges, quæ ad ſtatum publicum populi Romani pertinent: jus privatum vero leges, quæ ad controverſias privatorum ſpectant. Hoc ſenſu lex Julia omnino pertinet ad jus publicum, & male conjungitur cum lege Furia & Voconia, quippe quæ aperte ad jus privatum pertinebant. Sin autem jus ſumatur pro attributo perſonarum. tunc jus publicum civium Romanorum complectitur prærogativas ratione ſtatus publici; jus privatum vero prærogativas ratione ſtatus privati. Hoc ſenſu lex Julia ad utrumque, & privatum, & publicum jus pertinet: conceſſit enim Italis utriuſque generis prærogativas, ut Cel. Schwartzius hoc
52. loco recte probavit. Ut tamen breviter comprehendam, quid Itali per legem Juliam conſecuti fuerint, ante omnia in memoriam revocanda ſunt quæ priori capite monui, nimirum legem hancce jus civitatis hominibus in Italia dediſſe, in jure vero locorum, ſive oppidorum, illam nullam feciſſe mutationem. Deinde probe tenendum eſt, legem Juliam Italis dediſſe pleniſſimum jus civitatis, quatenus iſto gaudere potuerint illi, qui non habebant Romæ domicilium: juribus ergo iſtis, quæ ex domicilio fluebant, poſtea etiam caruerunt: poterant tamen illis quoque frui, ſimulac Romæ domicilium collocarunt. Sic v. g. quod ad jus honores petendi attinet, notandum eſt, quod ſupra jam monui, illud quidem poſt legem Juliam habuiſſe Italos, ſed ita, ut Romam quoque domicilium transferre deberent, quando in urbe honores conſequi vellent. Quod vero ad jus cenſus attinet, dubium adhuc eſt, num omnes immediate Romæ cenſeri debuerint

buerint Itali, an vero in ſuis quique civitatibus cenſeri potuerint, qua de re alibi dicam pluribus. Quod porro ad jus ſacrorum Romanorum ſpectat, valde dubito, an illud Itali in ſuis quique civitatibus habuerint: puto potius, eos illud tunc demum conſecutos fuiſſe, quum Romæ domicilium collocaverint. Hoc interim certum eſt, omnia Italiæ oppida, exceptis Coloniis, ſicuti leges ſuas proprias, ita & propria ſua ſacra, perinde ac ante legem Juliam, retinuiſſe. Non tamen nego, potuiſſe ea ſua ſponte, ut leges, ita & ſacra Romanorum recipere. Neque aliud etiam docuit doctiſſimus ille purpuratus *Henricus Noriſius* in *Cenotaphiis Piſanis*, *Diſſ.* I. *cap.* 5. *pag.* 114. *Tom.* III. *Opp.* Probavit enim tantum contra Sigonium, colonias ſacra Romanorum retinuiſſe, qua in re & me conſentientem habet, de aliis vero Italiæ urbibus ne verbulum quidem adjecit. Dum tamen doctus ille vir probare iſtud vult ex Cenotaphio C. Cæsaris, in quo, T. Statulenus, Princeps Coloniæ Piſanæ, Flamen Auguſtalis, vocatur etiam Pontifex Minor publicorum P. R. Sacrorum: neſcio ſane, an argumentum hoc ſatis firmum ſit. Merito enim dubitatur, num ſacerdotium hoc in Colonia, an vero Romæ potius geſſerit. Nihil enim prohibet, quo minus in Colonia potuerit eſſe Flamen Auguſtalis, & Romæ Pontifex minor: idque mihi vel ideo ſit probabile, quod nondum conſtet, in coloniis diſtinctionem etiam inter Pontifices Majores & Minores obſervatam fuiſſe. Si ergo ponamus, fuiſſe hunc Statulenum Pontificem minorem Romæ, ſequitur, illum Romæ quoque habuiſſe domicilium, ut adeo ex monumento iſto nihil omnino de jure ſacrorum oppidorum

Italiæ concludi poſſit. Quod ad jus tributorum attinet, recte dicit Cel. Schwartzius, Italos hac in parte civibus Romanis adæquatos fuiſſe. Id quod tamen ad perſonas tantum pertinet. Supra enim monui, legem Juliam hominibus tantum dediſſe jus civitatis, illam vero in bonis & prædiis nullam feciſſe mutationem, ita, ut eodem prorſus modo & poſtea diſtinguerentur, Coloniæ, Municipia, Præfecturæ. Si ergo iſto adhuc tempore fuiſſent in Italia prædia tributo obnoxia, illa per legem ſaltem Juliam nullam accepiſſent immunitatem. Quod vectigalia tam urbis, quam Italiæ, per legem Cæciliam ſublata ſint, illud pertinet ad prærogativam ipſius urbis
53. & Italiæ. Quod deinceps ad jura privata Romanorum attinet, hic ante omnia repetenda eſt diſtinctio, quam ſupra propoſui: Jus nempe ſumi vel pro lege, vel pro attributo perſonarum. Per legem Juliam Itali jus privatum civium Romanorum acceperunt eo ſenſu, quo ſumitur pro prærogativis illis, quibus cives Romani præ aliis gaudebant ratione ſtatus privati, & privatorum commodorum. Non vero ipſæ Romanorum leges, quæ ad controverſias privatorum pertinent, eo ipſo Italis ſunt obtruſæ: ſed Itali potius in ſuis quique civitatibus propriis legibus uti poterant, ita tamen, quatenus illæ cum ipſo jure civitatis Romanæ conſiſtere poterant: qua de re ſequenti capite latius diſſerendi locus erit. Quod Cel. Schwartzius de Capua refert, eam, quum Colonia eſſet, ſuas ſibi leges adſciviſſe: illud ego non reperio in loco CICERONIS, cui teſtimonium denuntiat, neque illud verum eſſe poteſt ex ipſius doctiſſimi hujus viri hypotheſi, qua coloniis autonomiam denegat. Quæ ſequuntur in hocce §. 5.
Italos

Italos tunc demum pleno Quiritium jure uſos fuiſſe, quando Romæ domicilium collocarunt, id limitari debet ſecundum diſtinctionem paullo ante prolatam: nempe verum illud eſt, ſi plenum Quiritium jus ſumatur de ipſis legibus Romanis, non ſi de juribus Quiritium privatis ſumatur, quatenus illis cives, tanquam ſingularibus præ aliis prærogativis utebantur. Nam & Itali, qui in ſua quique patria vivebant, ſemper juribus gaudebant privatis civium Romanorum, ſive iiſdem prærogativis, quoad ſtatum privatum, quibus ipſi in urbe Roma cives fruebantur. Quando porro Cel. Schwartzius dicit, *Heineccium* negaſſe, cives illos novos in Italia gaviſos fuiſſe libertate ex jure Quiritium: tunc ſane doctiſſimus vir non intellexit B. Heineccii mentem: nunquam enim illuſtris ille vir hoc negavit: ſed negavit tantum Latinos Italoſque hac libertate gaviſos fuiſſe, antequam civitatem Romanam per legem Juliam adepti ſunt. Sed nec B. *Heineccius*, dum ſe defendere cupit in *Append.* ad *lib.* I. *Synt. Antiqq.* §. 85. *not.* (k) *pag.* 350. *novæ edit.* A. 1730. intellexit Cel. Schwartzii ſententiam: non enim putavit unquam hic vir doctus, Latinos & Italos ante communicatam civitatem hoc jure gaviſos fuiſſe. Re vera ergo hi viri docti conſentiunt, & pugnant tantum, quia ſe invicem non intelligunt: quod eo magis mirandum, quum utrique tam plane & perſpicue locuti fuerint, ut facile potuiſſent intelligi. Sed hæc cautionis gratia ſunt annotanda, talibus vero viris facile condonanda. In fine hujus paragraphi laudatur locus Ciceronis *in Verr.* II. *cap.* 36. qui omnino huc non pertinet: puto ergo auctorem in mente potius habuiſſe locum Ciceronis *pro Cæcinna*,

cap.

cap. 35. Sic etiam paullo ante in hoc §. 5. verbis: *Siculos civitatem Romanam conſecutis:* excidiſſe vel typographi vitio, vel calami feſtinantia, particulam *nondum* exiſtimo: eo enim tempore Siculos nondum civitatem Romanam conſecutos fuiſſe, omnes ſciunt: hæc ergo in lectorum tantum gratiam annotare volui. Quæ deinde §. 6. traduntur, ea ad jus tantum Italiæ & Italorum ſpectant: hiſce ergo prætermiſſis, progredior jam ad ſequentem §. 7. doctiſſimæ hujus Diſſertationis.

54. Poſtquam Cel. Schwartzius egerat hactenus de jure Italico hominum, ſive in ſenſu lato, ſive etiam in ſenſu ſtricto: (niſi quod pauca hinc inde admiſta ſint, quæ magis ad jus regionis Italiæ pertinent) jam agere inſtituit de jure Italico, quatenus ſumitur pro jure locorum ſive prædiorum, quæ jure Italico prædita ſunt, ſine reſpectu ſitus & regionis, (de quo ſignificatu nos ſupra ultimo loco diximus) ita tamen, ut & hic quædam admiſceat, quæ magis ad jus Italiæ pertinere videantur. Sic v. g. Italici forſan contractus, & tempus præſtitutum in Italia ad petendam reſtitutionem in integrum, magis ſpectant ad jus ipſius Italiæ, quam ad jus Italicum, qua de re infra erit dicendum. Cæterum §. 7. diverſas modo recenſet eruditorum ſententias: ergo obiter tantum notare volo, *Cujacium* ex inſtituto noviſſime refutaſſe Virum illuſtrem, qui nuper ingenti Jurisprudentiæ damno ex hac vita migravit, *Cornelium van Bynkershoek* in *Obſervationibus Juris lib.* V. *cap.* 21. B. *Heineccium* vero in recentioribus editionibus ſententiam ſuam correxiſſe. §. 8. Propriam tandem ſuam ſententiam expoſuit Cel. Schwartzius. Recte nimirum doctiſſimus ille vir ſtatuit Jus Italicum illud, de quo nunc ſermo

eſt,

Digitized by Google

eſt, conſtitiſſe in immunitate a tributo capitis & ſoli. Sed neque in ea ſola jus Italicum; (quod agnoſcit vir hic doctiſſimus) neque in ea præcipuum caput & prærogativa (ut putat ille) hujus juris conſtitit. Nam illam in prædiis juris Italici immunitatem conſequens potius fuiſſe alterius juris cujuſdam, vel exinde apparet, quod immunitas illa conſiſtere poterat ſine jure Italico; jus Italicum vero non ſine hac immunitate: (Vid. *Cornelius van Bynkershoeck Obſervatt. lib* V. *cap.* 21.) ſed hac de re paullo poſt dicam pluribus. Hic in anteceſſum id tantum notare volo, Jus hocce Italicum, de quo nunc ſermo eſt, ſemper principaliter ad loca & prædia pertinuiſſe, ſecundario tantum ad homines, qui in talibus oppidis, ſive Coloniis, hoc jure donatis, habitabant. In quo præcipue differt a veteri jure Italico, quo Itali ante legem Juliam gaudebant: illud enim primario ad homines, ſecundario tantum ad bona pertinebat. Hinc nuſquam legimus, hoc jus Italicum ſingulis hominibus ſine reſpectu loci datum fuiſſe: ſed dabatur oppidis, vel Coloniis, ut ex *Tit.* D. *de Cenſibus*, & ex Plinii *Hiſtoria Naturali* variis locis apparet. Si igitur integro oppido alicui, ſive Coloniæ, jus hoc Italicum eſſet donatum: tunc vero non tantum omnia prædia, quæ ad illud oppidum Coloniamve pertinebant, a tributo ſoli immunia facta ſunt, ſed & omnes incolæ per conſequens fiebant immunes a tributo capitis. Jus ergo Italicum ab utroque tributi genere immunitatem præſtabat. Potuit tamen ſine jure etiam Italico oppido cuidam immunitas, vel ſoli, vel capitis, vel utriuſque concedi, ſpeciali aliquo beneficio. Non vero aſſentior Cel. Schwartzio, quando dicit:

cit: *Immunitas quidem a tributo capitis jure Italico tam propria, & tam neceſſario conjuncta fuiſſe videtur, ut ubi hæc affuerit, exinde, cæteris paribus, jam colligi potuerit, ibi beneficium juris Italici adeſſe:* id quod probare vult per L. *vet.* §. 7. D. *de Cenſib.*. Sed notandum eſt: 1) Interpretationem Titi Imperatoris non fuiſſe doctrinalem: ſed authenticam, adeoque eam pro novo potius beneficio, quam pro interpretatione veteris eſſe habendam; & hinc eam quoque ad exemplum non eſſe trahendam: nam ex immunitate capitis non ſequebatur immunitas ſoli, nec contra: multo minus ergo exinde jus Jus Italicum ſequebatur. 2) Ne dicitur quidem in hac lege, Cæſaream juris Italici factam fuiſſe coloniam, ſive a Veſpaſiano, ſive a Tito: ſed eam immunem tantum factam fuiſſe innuitur: hanc enim Coloniam, ut & ei ſimilem Capitulenſem non fuiſſe juris Italici ex L. 1. § 6. D. *de Cenſib.* apparet: id quod etiam animadvertit laudatus *Cornelius van Bynkershoeck Obſervatt. lib.* V. *cap.* 21. *pag.* 76. *edit. Hallenſis.* [Recte hic doctiſſimus ille ICtus animadvertit, Capitolenſes nullos alios eſſe, quam incolas Æliæ Capitolinæ, non vero Capitoliadis, quippe quæ civitas αὐτόνομος fuerit: non vero recte addit: *quod plus etiam eſt, quam eſſe juris Italici*: nam multæ ſane civitates habebant autonomiam, quæ jure tamen Italico deſtituebantur. Melius ex autonomia probaſſet vir doctiſſimus, Capitoliadem non fuiſſe Coloniam; in hoc vero *Titulo* D. ſermonem tantum de Coloniis fieri: ergo Æliam Capitolinam, tanquam Coloniam, eſſe intelligendam. Hanc utriuſque urbis differentiam probe quoque obſervavit *Henricus Noriſius* in Opere *de Epochis Syro-Macedonum*, *Diſſ.* III. *cap.* 9.

Digitized by Google

9. §. 4. qui recte eos, qui utramque confundunt, refellit. Licet vero hic vir doctus Capitulenſes recte accipiat de incolis Æliæ Capitolinæ, patet tamen, melius eos dici Capitolienſes. Sed fortaſſe maluerunt ſe Capitulenſes vocare ad differentiam incolarum Capitoliadis: quod tamen aliis accuratius excutiendum relinquo.] Nulla ergo eſt contradictio (ceu plurimi exiſtimant) inter Ulpianum & Paullum: (ut etiam vidit laudatus *Henricus Noriſius* in Opere de *Epochis Syro-Macedonum*, *Diſſ.* IV. *cap.* 5. §. 2. *pag.* 448. *tom.* II. *Opp.* neque neceſſe eſt, ut cum *Samuele Petito Obſervat. lib.* II. *cap.* 4. ſtatuamus, Caracallam hoc mutaſſe, poſtquam Ulpianus libros ſuos *de Cenſibus* ſcripſit: Paullum vero ſub Heliogabalo demum ſuos *de Cenſibus* libros ſcripſiſſe. Nam ex collatione L. 1. §. 4. & L. *ult.* §. 6. apparet potius, utrumque Jureconſultum ſub Caracalla libros illos *de Cenſibus* ſcripſiſſe: neque etiam Paullus ullo modo ſignificat, hac in re variatum eſſe: ſed refert potius hic tantum, quid Veſpaſianus & Titus ſtatuerint. Sic etiam illud, quod Cel. Schwartzius infra §. 10. dicit, mutatum hoc forſan fuiſſe a Severo, locum habere nequit. Si enim per Veſpaſianum & Titum Cæſareæ jus Italicum fuiſſet conceſſum; illud vero poſteo a Severo iſtis (ut & Capitolenſibus) fuiſſet ereptum: cur Paullus, qui poſt Severum certe ſcripſit, illud non annotavit? Dicendum ergo potius eſt, Colonias haſce habuiſſe quidem immunitatem, non vero jus Italicum. Eſſet quidem hoc contra *Adriani Turnebi*, *Samuelis Petiti* aliorumque ſententiam, qui putant jus Italicum in ſola immunitate conſtitiſſe, adeoque omnes colonias immunes habuiſſe etiam jus Italicum: (id

Digitized by Google

(id quod recte *Jacobus Cujacius Obſervat. lib.* X. *cap.* 35. hoc ipſo argumento refutavit: qui minus recte tamen negavit, immunitatem cum jure Italico ſemper fuiſſe conjunctam) non vero eſt contra Cel. Schwartzii, quam etiam nos adoptamus, ſententiam: ergo hoc ſalva ſua hypotheſi facile poteſt concedere: licet enim jus Italicum immunitatem involvat, plura tamen ſimul jura comprehendit, ut adeo coloniæ immunes non ideo ſtatim haberent jus Italicum. Obiter etiam quærendum eſt, cur PAULLUS in L. *ult.* §. 3. addat: *& ſolum earum*: quum hoc jam per ipſum jus Italicum intelligatur. Cel. Schwartzius videtur exiſtimaſſe, (ſi mentem ejus recte capio) Jus Italicum primario tribuiſſe immunitatem a tributo capitis, ſecundario tantum a tributo ſoli, & hinc ad utramque immunitatem eo fortius exprimendam Paullum hocce addiſſe. Ego vero potius exiſtimo, Jus Italicum primario immunitatem a tributo ſoli; ſecundario tantum a tributo capitis præſtitiſſe, quia, ut dixi, hocce jus Italicum, de quo nunc ſermo eſt, primario ad loca, ſecundario tantum ad homines ſpectabat. Sed ſi etiam primario jus Italicum immunitatem a tributo capitis tribuiſſet, quia tamen, ut ipſe Cl. Schwartzius putat, ſimul immunitatem ſoli tribuit, facile apparet, exinde a tautologia abſolvi non poſſe Paullum. Ego igitur exiſtimo, colonias haſce extra proprium etiam territorium ſuum prædia quædam habuiſſe, quæ ſimul jure Italico donata fuerunt, & ob eam cauſam Paullum addidiſſe, *& ſolum earum*, id eſt, ſimul cum prædiis ſuis, quæ extra proprium etiam territorium poſſident. Sed hoc doctioribus libenter dijudicandum relinquo.

55. Progredior jam ad §. 9. Ibi Cel. Schwartzius ori-

originem tum cenſus provinciarum, tum immunitatis locorum juris Italici ab Auguſto deducit, qua in re Sigonium ſequitur: ſed mihi res paullo altius repetenda eſſe videtur. Non vero neceſſe eſt, ut hoc loco repetam, quomodo Romani in genere cum populis devictis egerint: id enim jam ſatis docuit *Petrus Burmannus* in Diſſertatione *de Vectigalibus Populi Romani*, *cap.* 1. Sed id tantum dicam, quod ad ſcopum meum inprimis pertinet, Romanos benignius ſemper cum populis Italicis, quam cum populis extra Italiam egiſſe. Hinc regiones tantum extra Italiam devictæ Provinciæ dicebantur; in ipſa vero Italia nullas habemus provincias. Hinc magnum ſemper inter Italiam & Provincias; magnum quoque inter Italos & Provinciales manſit diſcrimen, non tantum in aliis rebus, ſed & præcipue ratione tributorum & vectigalium. Nimirum quum jure belli agri omnes devictorum populorum publici eſſent populi Romani; populi vero devicti nihil in iis amplius juris habere poſſent, quam quantum illis a victore populo concederetur: Romani hocce jus non niſi in provinciis plene exercuerunt, in ipſa vero Italia valde temperarunt. In provinciis igitur devictorum populorum & oppidorum (nam de liberis & fœderatis hic non eſt ſermo) in dominio erant ipſius populi Romani. Et licet non omnes a populo, tanquam *publici* proprie ſic dicti, poſſiderentur, & per colonos colerentur, ſed multi, immo plurimi, privatis, ſive ipſis provincialibus, ſive aliis, concederentur: hi tamen non habebant plenum in iis dominium, ne naturale quidem, ſed jus aliquod dominio proximum, quod in plena facultate utendi fruendi conſiſteret, cum facultate jus

ſuum ad alios inter vivos & mortis cauſa transferendi. Et hujusmodi generis agri vocabantur proprie fundi provinciales, ſive prædia provincialia, item prædia vectigalia, tributaria & ſtipendiaria, nec non poſſeſſiones, (ut putat *Barnabas Briſſonius Select. Antiqq. lib* IV. *cap.* 1.) immo interdum etiam agri *publici*, ſenſu licet minus proprio & lato: eaque prædia differebant non tantum a fundis & prædiis liberarum gentium & civitatum, quæ quidem non in civili, aſt pleno tamen naturali dominio erant; licet & hujus generis prædia ſæpe ſub generali provincialium donominatione comprehendantur, ut ſupra paucis jam indicavi, & alio loco latius exponam. Ex hiſce ergo, quæ hactenus dixi, ſequebatur: 1) Prædia provincialia ſtricte & proprie ſic dicta non poſſe eſſe in dominio privatorum, ne naturali quidem, multo minus ergo civili: alia vero, quæ ſenſu lato tantum ita vocantur, licet in naturali dominio fuerint, non potuiſſe tamen eſſe in civili ſive Quiritario dominio, quia illud in ſolis juris Italici prædiis locum habebat ex jure civili Romano. 2) Utriuſque generis prædia provincialia neque Mancipi; neque proprie Necmancipi vocari poſſe, quia hæc diviſio ſpectat ad illas tantum res, quæ in pleno civili & Quiritario dominio privatorum eſſe poſſunt, id quod ſupra jam attigi. 3) Ea civili quoque modo non potuiſſe alienari: unde Simplicius (inter ſcriptores rei agrariæ, *pag.* 76. *ed. Goeſii*) ea nexum non habere dicit, & mancipationem eorum legitimam eſſe, negat. 4) In iis uſucapionem etiam locum non habere, quia uſucapio eſt modus adquirendi dominium civile. 5) Illa in cenſum haud potuiſſe deferri: nemo enim in cen-

cenſum aliquid deferre poterat, niſi cujus ex jure civili eſſet dominus. 6) Prædia provincialia proprie & ſtricte ſic dicta ſemper ſua natura tributo, ſtipendio, vel vectigali fuiſſe obnoxia. Quum enim ipſum eorum dominium ſupremum penes populum Romanum, vel rempublicam, maneret, æquum omnino erat, ut pro conceſſa in iis facultate utendi fruendi aliquid populo vel reipublicæ in recognitionem dominii penderetur. Sic legimus apud Livium *lib.* XXXI. *cap.* 13. quum creditoribus reipublicæ pro pecunia credita agri publici concederetur, iis impoſitum fuiſſe certum vectigal *teſtandi cauſa, publicum agrum eſſe.* Unde Simplicius *de Controverſiis agrorum, pag.* 75. *edit. Goeſii* inquit: *Poſſidere enim illis quaſi fructus tollendi cauſa, & præſtandi tributi conditio conceſſa eſt.* Hinc eodem quoque modo e contrario ex eo, quod agri tributo eſſent obnoxii, apud Romanos ſemper colligebatur, illos non eſſe in pleno poſſeſſorum dominio. Unde Siculus Flaccus *de Conditionibus agrorum, pag.* 2. *ed. Goeſii* dicit: *ſunt populi Romani quorum vectigal ad ærarium pertinet.* Et de hujusmodi tantum generis agris, non de aliis, verum eſt, quod Aggenus Urbicus in *Comment. ad Frontinum, pag.* 47. *ed. Goeſii* dicit: *quod omnes etiam privati agri tributa atque vectigalia perſolvant:* id quod ſi *Goeſius* animadvertiſſet, non in *notis* ad *h. l.* addidiſſet: *falſum hoc in republica Romana.* 7) Hanc denique agrorum qualitatem non mutatam fuiſſe, ſi vel maxime a civibus Romanis poſſiderentur: veniebat enim a natura ipſius agri, non a poſſeſſoribus: ſi ergo hoc eſſet mutandum, debebat ipſius agri qualitas mutari, ut non amplius eſſet provincialis. Eodem modo ſe res habebat, ſi coloni in

agros provinciales deducerentur: illi enim per ipſius agri naturam tributi fiebant obnoxii. Unde etiam agros colonicos ſtipendiarios in provinciis agnoſcit SIMPLICIUS loco paullo ante laudato.

Ita ſe res in provinciis habebat: ſed ut jam dixi, in Italia hocce jus Romani varia ratione temperarunt. Plerumque quidem Romani devictos etiam in Italia populos agris multarunt, hique agri fiebant quoque publici populi Romani, & vel per magiſtratus vendebantur, aut locabantur, vel in illos coloniæ deducebantur, quæ omnia vel ex LIVII lectione tyronibus jam nota eſſe debent. Sed hic ſtatim differentia inter colonias in Italia & in provinciis eſt notanda. Quando enim Romani in Italia coloniam deducebant, tunc colonis agri ita adſignabantur, ut plenum in iis conſequerentur dominium; civile quidem, ſi colonia eſſet civium Romanorum; naturale, ſi eſſet Latinorum, vel Italicorum. Hinc licet colonis iſtis varia ſæpe onera imponerentur, non tamen pro ipſis in recognitionem dominii agris tributum ſolvebant, ut ſequenti capite pluribus oſtendam. Porro agri illi, qui non publicabantur, ii privatis in plenum concedebantur dominium, naturale quidem, aſt verum tamen; niſi a civibus Romanis poſſiderentur, (quales poſt legem Juliam omnes in Italia) tunc enim & civile dominium in iis conſequi ſolebant. Hoc ſignificat HYGINUS *de Conditionibus agrorum*, *pag.* 205. *ed. Goeſii* his verbis: *Hi agri, qui redditi ſunt, non obligantur vectigalibus, quia ſcilicet prioribus dominis redditi ſunt:* id enim de Italia tantum, non de provinciis verum fuit, niſi quoad liberas gentes & civitates: quarum tamen prædia in eo adhuc ab Italicis differebant, quod nunquam

quam in civili & Quiritario dominio eſſe potuerint. Iſtiusmodi ergo generis agri privati, qui vel a colonis, vel ab aliis in Italia poſſidebantur, proprie vocari conſueverunt agri, ſive fundi Italici, vel prædia Italica.

Et hinc, ſi prædia quædam in provinciis eodem jure gaudere deberent, neceſſe erat, ut prius ex prædiis provincialibus fierent Italica, adeoque jure iſto Italico donarentur. Hæc ergo prædia Italica differebant non tantum a fundis provincialibus proprie ſic dictis, ſed etiam a prædiis liberarum gentium & civitatum, ut paullo ante dixi, quæ ſenſu tamen lato, ſub generali prædiorum provincialium denominatione ut plurimum comprehendi ſolent. Ex hisce ergo, quæ hactenus expoſui, jam ſequebatur: 1) In prædiis Italicis non tantum plenum dominium naturale, ſed etiam civile locum habuiſſe, eaque fuiſſe ſemper in pleno privatorum dominio, vel naturali, vel civili, prout poſſeſſor alterutrius dominii capax erat. 2) Ea fuiſſe res mancipi quia omnes res immobiles, quæ in civili & Quiritario dominio eſſe poterant, ſua natura ad res mancipi referebantur. 3) Ea civili quoque modo alienari potuiſſe. 4) In iis uſucapionem locum habuiſſe. 5) Ea ſola quoque in cenſum deferri potuiſſe, unde *cenſui cenſendo* vocabantur. (Vid. Festus *hac voce*: Cicero *Orat. pro Flacco*, *cap.* 32.) 6) Illa tributo & vectigalibus plane non fuiſſe obnoxia: quia vectigal vel tributum proprie de agris tantum in recognitionem dominii ſolvebatur: hinc ceſſabat, ubi privati ipſi plenum haberent dominium. Simplicius quoque *de Controverſiis agrorum*, *pag.* 76. *ed. Goeſii*, diſertis verbis affirmat, nullos eſſe in Italia agros ſti-

ſtipendiarios & tributarios: ſed in provinciis tantum. Exinde tamen minime ſequebatur, Italos prorſus immunes ab omnibus fuiſſe oneribus. Tantum enim abeſt, ut hoc verum ſit, ut ne ipſi quidem cives ab omnibus tributis & vectigalibus fuerint immunes: ſed id tantum dico, de Italicis prædiis poſſeſſores, non ut de provincialibus, in recognitionem ſupremi dominii, populo Romano tributum pendere debuiſſe. Sic Cicero *Orat. pro Flacco*, *cap.* 32. ſignificat, gravi reipublicæ tempore etiam civibus pro modo facultatum, ſive cenſus, adeoque etiam de agris in cenſum relatis, tributum imperari potuiſſe. Sed tale tributum longe alterius naturæ fuit, quam quod agris provincialibus incumbebat. 7) Hanc denique qualitatem ab ipſa prædiorum Italicorum natura quoque, non a poſſeſſoribus perveniſſe. Poſſeſſor enim in ipſa prædii qualitate nihil mutabat, ſed pro diverſo ſuo jure perſonali id tantum faciebat, ut vel civile, vel naturale tantum in illo dominium haberet. Ex quo dilucide apparet, omnium in Italia prædiorum unam eandemque fuiſſe conditionem primariam, ut nempe potuerint in pleno & civili eſſe dominio, ex quo cætera ſua ſponte jura fluebant omnia; adeoque non ut in hominibus, ſic in prædiis quoque fuiſſe differentiam inter prædia juris civilis, Latii & Italici: ſed jus Romanum non niſi prædia Italica & Provincialia in ſenſu lato noſcere, ut ſupra jam breviter indicavi. Quibus addo adhuc, id quod probe obſervandum: quando prædia Provincialia in genere Italicis opponuntur prædiis, tunc hæc vox in latiori quodam ſignificatu accipitur, ut liberarum etiam gentium & civitatum prædia in provinciis non excludantur,

licet

Digitized by Google

licet a cæteris aliquo modo differant, ut ſupra jam paucis attigi, & alio loco latius oſtendam. Hinc omnia quidem prædia in Italia, & Italico jure donata, unius ejuſdemque erant conditionis: in provinciis vero prædia vario jure variaque conditione utebantur, id quod optime oſtendit ſæpe laudatus SIMPLICIUS *de Controverſiis agrorum*, *pag.* 76. *ed. Goeſii*: quem locum notabilem quidem, ſed & valde corruptum & obſcurum emendare & illuſtrare nuper tentavi in *Bibliotheca Miſcellanea Hamburgenſi*, *Tom.* I. *Part.* V. unde varia quoque ad hujus doctrinæ illuſtrationem peti poſſunt. Ex hiſce igitur abunde, ut puto, jam apparebit, hanc inter prædia Italica & Provincialia diſtinctionem diu jam ante Auguſti tempora obtinuiſſe. Quæritur ergo tantum, nihilne Auguſtus mutaverit, aut novi aliquid invexerit? Dicam quid ſentio. Agri publici in Italia ſenſim magis magiſque in privatorum plenum ceſſerunt dominium, adeo, ut, poſtquam Cæſar in agrum Campanum coloniam deduxit, nulli amplius ſupereſſent. Alia quoque urbis & Italiæ vectigalia ultimis reipublicæ liberæ temporibus per legem Thoriam & Cæciliam ſublata ſunt, adeo ut CICERO *ad Attic. lib.* II. *Epiſt.* 16. conqueratur, nullum ſupereſſe vectigal domeſticum, id eſt Italicum, præter vigeſimam, manumiſſionum ſcilicet. Auguſtus rerum potitus varia quidem nova vectigalia inſtituit, ut e. g. vigeſimam hereditatum, quæ ad cives Romanos, ſive in urbe, ſive in Italia, pertinerent: ipſam tamen Italiam a tributo capitis & ſoli immunem præſtitit, cæteraque prædiorum Italicorum jura ſalva conſervavit. Quod ad provincias attinet, illæ quidem jam antea tributis & vectigalibus obnoxiæ erant; ſed Auguſtus omnia hæc in meliorem or-

dinem redegit, & accurate conſtituit, quæ tributum capitis, quæ tributum ſoli, quæque utrumque pendere deberent: quæque contra in provinciis gentes & civitates libertate atque immunitate fruerentur. Loco incertorum quoque vectigalium, quæ tempore liberæ reipublicæ maxime obtinebant, certum canonem inſtituit, qua de re legi poteſt *Petri Burmanni Diſſertatio de Vectigalibus Populi Romani*, *cap.* 3. Ex hisce itaque, quæ jam explicavi, abunde patebit id, quod ſupra attigi, immunitatem non fuiſſe præcipuum & primarium prædiorum Italicorum jus: ſed primarium potius prædiorum Italicorum jus, ex quo cætera jura, adeoque ipſa etiam immunitas, ſequebantur, fuiſſe jus pleni dominii, ſive naturalis, ſive civilis, pro conditione poſſeſſorum, & pro modo etiam, quo alienabantur. Ergo jus Italicum immunitatem quidem involvebat, non vero contra immunitas ſecum afferebat quoque jus Italicum, quia per ſpeciale privilegium immunitas prædiis etiam provincialibus ſine jure Italico concedi poterat. Immo certo modo immunitate quoque gaudebant prædia liberarum gentium & civitatum, quæ jure tamen Italico deſtituebantur. Sed unicum præterea eſt, quod adhuc, antequam ad aliam ſectionem progredior, monere debeo: neque Cel. Schwartzium haut accurate locutum fuiſſe in fine hujus ſectionis, quando dicit: *Haud ſecus Auguſtus, quum vigeſimam irrogaret civibus novis, ſeu per Latium in civitatem, ſeu beneficio Principis veniſſent, eandem civibus veteribus remiſit, quod cognoſcimus ex* Plinii *Paneg. cap.* 37. Nam Auguſtus vigeſimam hereditatum civibus impoſuit omnibus, ſive veteres, ſive novi eſſent. Sed quum remiſiſſet eam here-

heredibus ſanguine conjunctis; cives vero novi, niſi ſimul cognationis jus impetraſſent, nullos proprie cognatos habere poſſent jure civili: neceſſario eveniebat, ut novi cives huic vectigali pluribus modis obnoxii eſſent, quam veteres: qua de re in fine prioris capitis dictum. *Ezechiel Spanhemius* quoque, ut obiter noto, in *Orbe Rom. Exerc.* II. *cap.* 4. interdum ita loquitur, ac ſi putaſſet, vigeſimam hancce per ſe novis tantum civibus incubuiſſe: id quod tamen falſum eſſe, ex paucis hiſce, quæ dixi, perſpicue apparet: omnia vero luculenter expoſuit *Petrus Burmannus* in Diſſertatione *de Vectigalibus populi Romani*, *cap.* XI.

Jam ad alia pergendum eſt. Quia præcipuam 56. Cel. Schwartzius juris Italici prærogativam in immunitate quærit, hinc mirandum quoque non eſt, illum de iſta immunitate præcipue & primo quoque loco egiſſe: jam vero §. 11. cæteras quoque enarrare inſtituit, quæ ex jure Italico fluunt, prærogativas. Ex mea vero hypotheſi beneficia juris Italici alio modo diſponi debuiſſent, ut ex antecedentibus apparet. Porro id etiam notandum eſt Cel. Schwartzium verum & civile dominium haud accurate pro uno eodemque ſumere: dominium enim naturale etiam verum eſt, & certo modo quoque plenum, licet civile ſit plenius, id quod alio loco accuratius exponam. Neque etiam recte dominium civile opponitur uſui fructui: ſed dominio naturali. Cavendum quoque eſt, id quod jam antea monui, ne credamus, prædia Italica ſemper re vera fuiſſe in dominio civili: ſæpe enim, quo minus hoc fieret, vel qualitas perſonæ, vel modus adquirendi obſtabat: erant tamen ſemper ejus na-

 turæ,

Digitized by Google

turæ, ut in civili dominio eſſe poſſent, modo cætera quoque adeſſent requiſita. Neque tamen hoc civile dominum ex eo ſequebatur, quod eſſent res mancipi: nam & res nec-mancipi potuiſſe in civili eſſe dominio, & ego olim in *Tractatione* mea *de Teſtamenti factione*, *cap.* III. §. 9. probavi, & poſtea plenius probatum fuit a V. *Nobiliſſimo Gerardo Meerman* in Diſſertatione elegantiſſima *de rebus mancipi & nec mancipi*, §. 118. *ſeqq.* Quod ad uſucapionem attinet, neſcio, cur ibi Cel. Schwartzius addat: *tamquam res mancipi:* conſtat enim inter omnes, uſucapionem in rebus nec-mancipi locum habuiſſe. Quod ergo prædia provincialia uſucapi non poſſent, id non exinde venit, quod eſſent, ut hic vir doctus putat, res nec-mancipi, (quod tamen verum non eſſe ſupra indicavi) ſed quod plane non poſſent eſſe in dominio civili privatorum: uſucapio vero ſemper dominium civile operari debebat. Deinde illud quoque notandum eſt, licet prædia Italica uſucapionem ſua natura ſemper admitterent, neceſſe tamen adhuc fuiſſe, ut is, qui uſucapionem exercere volebat, civis eſſet Romanus: neque enim jus Italicum, ſi pro jure hominum ſumitur, ad ipſam juris civilis uſucapionem ſufficiebat. Non ergo verum eſt, quod ſcribit Cel. Schwartzius, jus Italicam hocce commune habuiſſe cum vetuſto Quiritium jure: nam uſucapio ex jure Quiritium ſolis competebat civibus Romanis; habebat vero locum in prædiis tantum juris Italici, ex legibus XII. Tabularum, juxta prudentum interpretationem. Porro quod ad Exceptionem annalem contractuum Italicorum attinet, hactenus nondum certo nobiſcum conſtituere potuimus, utrum hoc ſingulare jus pertinuerit ad prædia

dia Italica, ubicunque ſita, an vero ad ipſam tantum Italiam: rogamus ergo viros doctos, ut in hanc rem accuratius inquirere, ſuamque hac de re ſententiam cum orbe erudito communicare velint. Mihi ſaltem nemo cognitus eſt, qui hanc rem obſcuram ex inſtituto illuſtraverit. Quod vero in ſequentibus Cel. Schwartzius de excuſationibus a tutelis tradit, id aperte non ad jus Italicum, ſed ad prærogativas ipſius tantum Italiæ pertinet, id quod jam monuit B. *Joh. Gottlieb Heineccius* in *Commentario ad* L. *Jul. & Pap. Popp. lib.* II. *cap.* 8. §. 2. *pag.* 210. Quod denique ad Conſtitutionem Antonini Caracallæ attinet, quia per illam jus civitatis cum hominibus tantum ingenuis in orbe Romano communicatum fuit, facile patet, per eam nihil mutatum fuiſſe, neque in differentiis ſoli Italici & provincialis, neque in ipſius Italiæ præ provinciis prærogativis: ſed hæc jura ſalva manſiſſe omnia, ut paullo poſt pluribus exponam. Quæ deinceps §. 12. ſequuntur, ea proprie etiam non ad jus Italicum pertinent, ſed tantum ad ipſam Italiam. Exinde ergo quod ſub Diocletiano ſequentibusque Imperatoribus Italiæ tributum quoque impoſitum fuerit, ego concludere nollem, jus Italicum non amplius in immunitate conſtitiſſe. Fuit enim hæc tributi impoſitio extraordinaria, & vel ſic puto prædia Italica præ aliis aliquam habuiſſe prærogativam: id quod tamen in re tam obſcura arduum eſt definire. Quod vero porro Cel. Schwartzius refert de diverſo tempore petendæ reſtitutionis in integrum, illud ad prærogativas ipſius tantum Italiæ, non ad jus prædiorum Italicorum pertinuiſſe, ex ipſis legum verbis ſatis clare elucet. Quæ §. 13. occurrunt,

runt, in ſequentibus erunt expendenda. Nunc tantum ad §. 14. dico, Juſtinianum Imperatorem ſuſtuliſſe differentiam inter res mancipi & necmancipi, inter dominium civile & naturale, & inter uſucapionem & longi temporis præſcriptionem. Conceſſit quoque, ut in prædiis provincialibus eodem modo ut in Italicis plenum dominium obtineri poſſit, utque prædia provincialia & Italica eodem modo alienentur, utque denique eodem modo uſucapi poſſint. Ex quo quidem apparet, hunc Imperatorem pleroſque, ſi non omnes, juris Italici effectus ſuſtuliſſe. Sed quæri tamen adhuc poteſt, utrum ipſa illa diſtinctio penitus fuerit ſublata, & utrum nullus plane jure novo effectus permanſerit? Ego dico, ſi nulla amplius jure Juſtinianeo ſupereſſet differentia inter Italica & alia prædia, comprehendere ſane nequeo, cur paſſus fuerit Imperator, ut in Pandectis tam ſollicite adhuc coloniæ Italicæ enarrentur, & ab aliis diſtinguantur. Ergo fortaſſis, ratione ſaltem cenſus, ne tum quidem omnis inter colonias Italicas & alias differentia fuit ſublata. Sed vellem, ut doctiores hanc in rem paullo accuratius inquirere, ſuamque ſententiam aliis non invidere vellent: nam ego quidem hactenus nihil certi determinare audeo.

57. Hæc ad Cel. Schwartzii elegantiſſimam de jure Italico Diſſertationem pace illius, modeſte annotare viſum fuit. Jam pauca quoque ad ea, quæ illuſtris quondam *Ezechiel Spanhemius* in præclaro Opere, quod *Orbis Romanus* inſcibitur, hac de re attulit, (pace tantorum manium) obſervare volo.

Recte vir iſte præclarus in *Exerc.* II. *cap.* 19. vidit, poſt datam omnibus ab Antonino Caracalla

Digitized by Google

calla civitatem, non ideo, quod quibuſdam viſum, ſublatum fuiſſe jus Italicum. Omnes ſane, qui diſtinguere neſciunt inter jus Italicum, quatenus hominibus, & quatenus locis competit, quique neſciunt, communicatam hominibus civitatem nullam locis mutationem attuliſſe, illi aliter concludere non potuerunt, quam per communicatum cum omnibus in orbe Romano jus civitatis jus Italicum ſimul inutile factum fuiſſe, quandoquidem jus civitatis jure Italico multo fuit præſtantius. Sed ex noſtris principiis, quæ & priori, & hoc ipſo capite ſtabilivimus, facile apparet, jus Italicum non fuiſſe ſublatum per Antoninum Caracallam, niſi illo ſenſu, quo illud jam olim ſuſtulit lex Julia. Manſit ergo poſt communicatam cum omnibus civitatem nihilominus civibus in ipſa urbe Roma præ aliis civibus; manſit ipſi urbi præ Italia & provinciis; manſit civibus in Italia præ civibus in provinciis; manſit ipſi Italiæ præ provinciis; manſit denique omnibus locis jure Italico præditis præ provincialibus ſalva ſua prærogativa. Magna ergo cautio ſemper eſt adhibenda, ut diverſa jura pro diverſis temporibus recte diſtinguamus, ne in confuſionem incidamus inextricabilem. Sic v. g. ſi quis prærogativas civium Romanorum præ Italici olim juris hominibus, & provincialibus, confundere vellet cum prærogativis, quæ civibus adhuc in urbe Roma manebant præ incolis Italiæ & provinciarum, poſt communicatum jus civitatis; item prærogativas hominum Italici quondam juris præ provincialibus, cum prærogativis incolarum Italiæ præ incolis provinciarum, poſt communicatum jus civitatis; item prærogativas ipſius Italiæ præ provinciis, cum prærogativis loco-

locorum jure Italico donatorum præ provincialibus: is ſane in multos incideret errores graviſſimos.
58. Deinde quæritur etiam, utrum jus Latii ſalvum permanſerit poſt communicatam cum omnibus in orbe Romano incolis civitatem? Ego reſpondeo, illud prorſus omnino inutile factum fuiſſe quoad homines ingenuos; qui enim jam jure civitatis, utpote jure excellentiori donati erant, illi non amplius utebantur jure Latii. Sic olim poſt communicatum lege Julia cum Latinis & Italis jus civitatis, jus Latii in ipſa Italia locum amplius non habebat: ſed cum aliis extra Italiam tantum communicabatur. Poſtquam ergo omnes etiam ingenui extra Italiam in orbe Romano jus civitatis acceperunt, neceſſe erat, ut jus Latii plane exſpiraret in hominibus ingenuis. Erat enim jus Latii prærogativa perſonarum, non regionis, non locorum, ſive prædiorum, (ſicut jus Italicum) ut antea dixi. Animadvertit quoque hoc ipſe Spanhemius: ſed ex noſtris principiis illud multo clarius adhuc elucet. Non ceſſabat tamen jus Latii in Latinis Junianis, quippe ad quos, ut notum eſt, Conſtitutio illa Antonini Caracallæ plane non pertinebat, quique demum a Juſtiniano Imperatore ſublati ſunt. Eodem modo etiam quæri poteſt, utrum jus provinciale fuerit ſublatum per Conſtitutionem Antonini Caracallæ? Ego dico, jus provinciale duplex pariter fuiſſe, vel hominum, vel locorum, ſive prædiorum. Quod ergo ad jus provinciale locorum, ſive prædiorum, quod juri Italico opponebatur, attinet, illud nullo modo fuiſſe ſublatum, ſed ſalvum omnino permanſiſſe, ex hactenus dictis ſatis apparet. Ipſam non minus provinciarum formam, quod ad regimen earum attinet, nullam per

per dictam Conſtitutionem mutationem paſſam fuiſſe, ex antecedentibus facile etiam poteſt colligi. Quod vero ad jus provinciale hominum ſpectat, hic rurſus diſtinguendum eſt. Aut enim provinciales opponuntur civibus Romanis & Latinis: (Italis etiam olim ante legem Juliam) hoc ſenſu appellatio provincialium prorſus ceſſavit poſt Conſtitutionem Antonini: omnes enim, non tantum Latini ingenui, verum etiam provinciales per illam facti ſunt cives Romani: Aut provinciales appellantur homines in provinciis habitantes, cujuſcunque juris, reſpectu incolarum ipſius urbis Romæ & Italiæ: hoc ſenſu appellationem provincialium etiam poſt dictam Conſtitutionem permanſiſſe, facile eſt ad intelligendum. Et hoc quoque ſenſu definitio Ulpiani in L. 190. D. *de* V. S. accipi poteſt: illum nimirum definire voluiſſe provinciales poſt Conſtitutionem Antonini Caracallæ. Tunc nimirum re vera illi tantum provinciales proprie appellabantur, qui in ipſis habitabant provinciis, non qui ex provincia quadam oriundi, ſi domicilium ſcilicet in urbe, vel Italia haberent. Alia quidem haud improbali ratione ex connexione cum aliis legibus, quæ ex eodem Ulpiani libro deſumtæ ſunt, legem hancce interpretatus eſt *Vir Cel. Franciſcus Carolus Conradi* in *Parergis*, *Part.* IV. *num.* 2. Sed eadem etiam occaſione Ulpianus definire potuit, quinam in genere poſt conſtitutionem Antonini Provinciales vocati fuerint: & neſcio ſane annon *Cel. Conradi* ſententiæ obſtet L. 38. *pr.* D. *de ritu nupt.* id quod aliis dijudicandum relinquo.

Ego jam ad Spanhemium redeo, qui ex hiſce præmiſſis jam melius poterit intelligi. Dum igitur

tur juris Italici uſum poſt conſtitutionem Antonini probare vult laudatus Spanhemius, provocat partim ad exceptionem annalem & tempus petendi reſtitutionem in integrum: (quæ tamen ad prærogativas potius Italiæ, quam ad jus Italicum pertinere ſupra monui) partim etiam ad jus Italicum urbi Conſtantinopoli conceſſum. Hoc ſane argumentum omni exceptione majus eſt: ſi enim per Antonini Conſtitutionem jus Italicum jam fuiſſet ſublatum, & inutile factum, abſurde ſane illud urbi Conſtantinopoli, tanquam ſingulare beneficium, indulſiſſent Imperatores. Recte quoque Spanhemius ſtatuit, ſi vel maxime immunitas fuiſſet ſublata, alios nihilominus ſuperfuiſſe effectus ſingulares juris Italici. Sed mihi omnino ea ſedet ſententia, ne immunitatem quidem, quæ ex jure Italico fluebat, prorſus fuiſſe ſublatam. Non ſuſtulerunt ſane Imperatores ipſam inter prædia Italica & provincialia differentiam, ergo non potuerunt etiam tollere diverſam eorum quoad tributa conditionem. Aſt conſtat tamen, Imperatores a Diocletiano uſque omnibus in orbe Romano incolis tributa impoſuiſſe, adeo ut vix ac ne vix quidem ipſius urbis Romæ incolæ exciperentur. Sed notandum, aliud eſſe tributum quod cives præſtant, pro portione facultatum ſuarum, imperantibus ad conſervationem reipublicæ & ad ſuſtinenda Imperii onera: aliud vero eſſe tributum, quod de agris pendebatur in recognitionem ſupremi dominii. Prioris generis tributum omnibus imperii incolis, ſalva eorum juris differentia, imponi poterat, & ſic in cenſum etiam prædia juris Italici veniebant: poſterioris autem generis tributum non niſi de prædiis provincialibus proprie ſic

dictis

dictis præſtari poterat. Sic olim jam in libera republica ipſi in urbe cives juxta cenſum tributum ſolverunt: ſic ordinario tributo ſublato, duris reipublicæ temporibus, civibus tributum etiam ratione agrorum, qui cenſui cenſendo vocabantur, imperari potuiſſe, ſupra ex Cicerone docui. Sic etiam ſocii, homines liberi & fœderati in imperio Romano, non erant ab omnibus tributis & vectigalibus immunes: nec tamen eodem prorſus modo, & provinciales, obnoxii erant: quod diſcrimen ipſe Spanhemius tetigit ſupra *cap.* 10. Imperatores igitur, qui tributum rurſus omnibus impoſuerunt, non propterea ſuſtulerunt differentiam prædiorum Italicorum & provincialium, quoad hunc etiam effectum. Sub Juſtiniano tamen Imperatore tota hæc res aliam induit faciem: ille enim ipſum hujus diſtinctionis fundamentum ſuſtulit. Hinc ab eo uſque tempore omnes imperii Romani cives & incolæ, non tam in recognitionem ſupremi dominii, (omnes enim plenos rerum ſuarum dominos effecit) quam potius ad ipſam tantum reipublicæ conſervationem (quemadmodum ad id ſemper cives ex ipſa imperii civilis natura obligati ſunt) tributa & vectigalia ſolvere debuerunt. Quia tamen adhuc coloniæ juris Italici in Digeſtis tam exacte enumerantur, ſuſpicio mihi exinde enata eſt, quam ſupra indicavi, illos prærogativam adhuc quandam ratione tributorum retinuiſſe, id quod tamen aliis dijudicandum relinquo. Quum igitur Conſtantinopolis in ſolo provinciali tanquam nova Colonia ædificaretur, eaque ſingularibus præ aliis urbibus prærogativis eſſet inſtruenda: neceſſe omnino erat, ut illi ante omnia jus Italicum concederetur: ex quo immunitatem

quoque urbs illa conſecuta fuit eam, quæ aliis coloniis Italicis ex ipſa hujus juris natura competebat. Num vero ab omnibus ſemper oneribus immunis fuerit hæc urbs, id alia quæſtio eſt, quæ a nobis hodie haud facile decidi poteſt, ut etiam agnoſcit Cel. Schwartzius in ſæpe laudata Diſſertatione, *cap.* I. §. 13.

61. Deinde diſputat quoque Spanhemius contra *Jacobum Gothofredum*. Hic nimirum ICtus doctiſſimus ſtatuit L. *un. Cod. Juſt. de privileg. urb. Conſtant.* a Triboniano conflatam eſſe ex duabus Conſtitutionibus Codicis Theodoſiani: nempe ex L. 45. *Cod. Theod. de Epiſcop. lib.* XVI. *tit.* 2. (ex qua etiam L. 6. *Cod. Juſt. de SS. Eccleſ.* deſumta eſt) & ex L. *un Cod. Theod. de jure Ital. urbis Conſtant. lib.* XIV. *tit.* 13. Et ſane ſi leges inter ſe conferas ipſas, nihil ſane conjectura hacce Gothofredi probabilius eſſe dices. Quid vero ad hæc Spanhemius dicit? *Verum*, inquit, *cui conjecturæ illud continuo obſtat, quod hæc falſa nitatur aſſertione, quaſi illa juris Italici conceſſione nihil aliud inferatur, niſi æquatio veteris Romæ cum nova, & quod illud jus Italicum pars fuerit & prærogativa veteris Romæ. Quæ tamen aperte vel inde ſatis convelluntur, quod in commemoratis paullo ante actibus aliud eſſet jus Quiritium, aliud jus Italicum: & quod, ut prius iſto excellentius, ita jus Italicum provinciali potius fuerit habitum. Unde poſt Italiæ conceſſam lege Julia civitatem juris Italici prærogativa, eaque in immunitate tributorum maxime poſita, inde cum bene meritis de Romano imperio in provinciis urbibus, aut alioquin cum Romanorum coloniis, & inſignis quidem beneficii nomine, fuerit communicata. Accedit, quod abſonum fuiſſet, jus Italicum, vel antea ſub Romanis Imperatoribus, vel adhuc*

adhuc ſub Valente, dici, quod tamen haud aliud eſſet, quam jus urbis Romæ, & ita omiſſa potiori longe illius juris denominatione, nempe ab urbe regia, & legum parente, ut antea vidimus iis temporibus nuncupata, eam continuo a ſubjecta ei gente arceſſere: & quidem quum alia ſemper in orbe Romano, ut e libris veterum ICtorum, & ex utroque Codice adhuc liquet, juris illius Italici, eaque infra jus Quiritium, ſeu Romanorum civium, recepta foret nomenclatio. Hactenus Spanhemium audivimus. Si ex noſtris antea ſtabilitis principiis res dijudicanda eſt, neque Gothofredus, neque Spanhemius rem acu tetigerunt. Si Gothofredus putavit, per ipſum jus Italicum Novam Romam, ſive Conſtantinopolim, Veteri Romæ in omnibus adæquatam fuiſſe: erravit ſane doctus ille ICtus: neque enim (ut alia taceam) ſine ratione tanquam diverſa conjunxit TRIBONIANUS jus Italicum, & ipſius urbis Romæ prærogativam, ut ſtatim quoque in ſequentibus verbis monet Spanhemius. Non tamen per ſe abſurdum eſt, ut putavit Spanhemius, dicere, ipſam urbem Romam habuiſſe jus Italicum: neque propterea confunditur jus Quiritium, & jus Italicum, ut ex noſtris quidem principiis facile poteſt intelligi. Nimirum docuimus ſupra, ratione hominum, ſive perſonarum, aliud quidem jus civitatis, ſive Quiritium, aliud Latii, aliud Italicum, aliud denique provinciale olim fuiſſe: ſic etiam ratione regionum, aliud fuiſſe jus ipſius urbis Romæ, aliud Italiæ, aliud provinciarum. Aſt ratione bonorum immobilium, ſive prædiorum, nullam aliam fuiſſe differentiam juris, quam inter prædia & provincialia. Hinc quoad jus prædiorum, jus Italicum non tantum pertinuit ad ipſam Italiam

liam & ad loca extra Italiam jure Italico prædita; ſed ad ipſam quoque urbem Romam, tanquam juris hujus Italici fontem: & nihilominus tamen hoc jus Italicum potius, quam urbis Romæ dicendum fuit, quia non proprium jus urbis, ſed commune totius Italiæ erat, ut omnibus facile apparet. Si quis vero ipſius urbis Romæ prærogativas, quibus non tantum præ provinciis, ſed & præ Italia gaudebat, ſub denominatione juris Italici comprehendere vellet; is ſane minime recte & proprie loqueretur. Leges, quas Spanhemius pro ſua adducit, ex hisce etiam haud difficulter poterunt intelligi: loquuntur enim partim de prærogativa ipſius urbis, partim de prærogativa Italiæ præ provinciis: non de diverſitate juris Quiritium & Italici. Licet vero Jacobi Gothofredi hypotheſis non in omnibus ſit admittenda, ſed potius ſecundum ea, quæ hactenus dixi, corrigenda: id tamen verum eſſe puto, TRIBONIANUM L. *un. Cod. Inſt. de privil. urbis Conſtant.* brevitatis gratia ex duabus ſupra commemoratis Conſtitutionibus conſarcinaſſe: qua in re tamen non eſt culpandus. Licet enim & diverſis temporibus, & a diverſis Imperatoribus, urbi Conſtantinopoli & jus Italicum, & ipſius urbis Romæ prærogativæ conceſſæ fuerint; licet etiam (quod omnino verum eſt) utrumque privilegium quam maxime diverſum fuerit: potuit tamen, pro libertate ſibi a Juſtiniano conceſſa, utrumque jus apte admodum in unam legem conjungere: id quod eum etiam feciſſe, ocularis inſpectio cuivis optime poteſt perſuadere.

62. Hæc ad Spanhemii tantum tractationem annotare volui. Cætera enim, quæ adhuc moneri poſſent, ab ipſis lectoribus ex antecedentibus facile

facile poſſunt colligi, unde iis immorari nolo. Nihil etiam moror *Vincentium Gravinam*, qui media quodammodo incedere voluit via, & putavit, jus Italicum præſtitiſſe immunitatem quidem ſoli, non vero capitis: hic enim ex antecedentibus facile refelli poterit. Debeo tamen paucis adhuc dicere de opinione *Viri Cl. Joh. Maderni*, qui in doctiſſimis ſuis *annotationibus* ad *Caroli Sigonii librum de antiquo jure Italiæ*, *lib.* I. *cap.* 21. in noviſſima *editione Mediolanenſi Operum Sigonii*, Jacobi Cujacii ſententiam reſuſcitare, & novis rationibus confirmare voluit, unde paucis ejus ratiocinatio eſt expendenda. Quæ vir iſte doctiſſimus de veteri tributorum ratione quoad cives Romanos affert: illa vera quidem ſunt, ſed parum faciunt ad rem præſentem. Recte quoque dicit, exinde quod cives a tributis ſoluti ſint, non ſequi, reliquos ſtipendiarios populos a tributis fuiſſe exemtos. Quando vero Italicos populos inter ſtipendiarios & tributarios refert, in eo aſſentiri illi nequeo. Itali enim, perinde ac Latini (ſalva tamen horum prærogativa) ſocii ſemper vocantur, Socii vero proprie ſic dicti populis ſtipendiariis & tributariis ſemper opponuntur. (Vid. CICERO in *Divinat. cap.* 3. & in *Orat. pro Balbo*, *cap.* 9. Confer etiam *Ezech. Spanhemii Orbem Rom. Exerc.* I. *cap.* 10. *pag.* 217. *ſeqq.*) Ergo provinciales tantum proprie hac appellatione mactantur: ſicuti & provincialia prædia proprie tantum ſtipendiaria, tributaria & vectigalia vocantur; nunquam vero prædia Italica ita appellari conſueverunt: id quod etiam diſertis verbis indicat SIMPLICIUS *de Controverſiis agrorum*, *pag.* 76. *ed. Goeſii.* *Prima enim conditio poſſidendi hæc eſt per Italiam, ubi nullus agro-*

rum tributarius, ſed aut colonicus aut municipalis, aut alicujus caſtelli, aut conciliabuli, aut ſaltus privati. Licet enim varia onera, alia aliis temporibus, ſubinde Romani Italis poſuerint: magnum tamen ſemper diſcrimen permanſit inter Italos, & inter provinciales; nec non inter prædia Italica & provincialia: cujus rei ratio ex antecedentibus peti poteſt: quod nempe Itali rerum ſuarum, etiam immobilium, veri eſſent domini; provinciales vero (exceptis tamen liberis gentibus & civitatibus) rerum immobilium tantum quaſi domini, & paullo plus quam uſufructuarii, adeo, ut ſemper ſupremum populi Romani dominium agnoſcere, & in ejus rei teſtimonium tributum pendere deberent. Nihil porro contra noſtram facit ſententiam, quod ipſis etiam civibus Romanis, vel in urbe, vel in Italia, varia onera & vectigalia fuerint impoſita: id enim facile largimur, & ultro quoque fatemur, fuiſſe quædam, quæ ad ſolos cives pertinerent, onera: nihilominus tamen negamus Italos, multoque minus cives, unquam tributo vel ſoli, vel capitis obnoxios fuiſſe, eo ſcilicet ſenſu, quo provinciales huic obnoxii fuerunt, in recognitionem videlicet ſupremi populi Romani dominii, niſi cives fundos provinciales poſſiderent. Quantumvis ergo Imperatores ſubinde vel ipſis civibus, immo ipſis urbis Romæ incolis, nova imponerent onera: nihilominus tamen verum ſemper permanſit principium, fundos juris Italici fuiſſe a tributo immunes, eorumque immunitatem ex ipſa juris Italici natura fluxiſſe, ut ex antecedentibus facile poterit intelligi. Neſcio etiam, unde *Cl. Madernus* probare velit, coloniis provincialibus levius tributum, quam ipſis provinciis fuiſſe

fuiſſe impoſſitum. Per coloniæ ſane deductionem ipſius fundi, in quem deducebatur; qualitas non fuit mutata: ſi ergo levationem aliquam cenſus obtinuerunt coloniæ provinciales, illam non niſi ex ſpeciali privilegio nanciſci potuerunt, qua de re nihil in univerſum ſtatui poteſt. Sic etiam naſcio, unde idem vir doctus probare velit, inter colonias Italicas & provinciales quoad formam ipſius reipublicæ diſcrimen aliquod fuiſſe: ego ſane in defectu expreſſi teſtimonii hoc neque affirmo, neque nego: id interim tantum moneo, hoc non ſequi ex veteri illo jure Italico ante legem Juliam, ut Cl. Madernus concludere velle videtur. Jus enim iſtud primario ad perſonas ſpectabat; jus vero hoc Italicum coloniarum extra Italiam præcipue ad loca & prædia pertinebat. Nihil ergo attulit doctiſſimus ille vir, quo nos ab illa, quam in antecedentibus ſtabilivimus, ſententia dimovere poſſit. Cætera, quæ de jure Italico dici poſſunt, ex ſcriptoribus ſupra commemoratis peti poſſunt, quæ ſi quis cum noſtris conjungere velit, nihil fortaſſis amplius magnopere hac in re obſcura tantiſque tenebris involuta deſiderabit, & majorem jam ſibi lucem factam fuiſſe fatebitur: paucis tamen exceptis momentis, in quibus ipſe aliorum judicium exſpectare, quam temere aliquid affirmare malui.

Cæterum quemnam celebris illa Antonini Caracallæ conſtitutio effectum habuerit, quomodo per eam jus civitatis cum omnibus in orbe Romano ingenuis communicatum fuerit, id docte admodum quoad ſingula jura expoſuit ſæpe laudatus *Ezechiel Spanhemius* in *Orbe Rom. Exerc.* II. *cap.* 20. *ſeqq.* quæ omnia tamen melius intelligi, & accuratius adjudicari poterunt, ſi ea ſimul ob- 63.

ſerventur, quæ priori capite, & hoc ipſo paſſim a nobis dicta ſunt. Antoninum ſcilicet illum hominibus tantum dediſſe jus civitatis, quoad bona immobilia vero nullam eum feciſſe mutationem. Hinc enim ſequitur regula: Jura perſonalia civium Romanorum fuiſſe communicata, non realia, quatenus nempe illa fluebant, vel ex diverſo jure domicilii, vel ex diverſa natura diverſorum locorum & prædiorum. Cætera, quæ ad ſpecialia jura annotari poſſent, non ſunt hujus loci. Porro etiam notandum, per Conſtitutionem Antonini Caracallæ non ipſa jura civium Romanorum & peregrinorum fuiſſe confuſa: ſed jura potius civitatis cum omnibus ingenuis in orbe Romano fuiſſe communicata. Hinc ipſa quidem jura civium Romanorum & peregrinorum manſerunt diſtincta: in ipſo tamen orbe Romano non fuerunt amplius peregrini, niſi Latini Juniani & libertini dedititiæ conditionis. (Conf. *Sphanhemii Orbem Rom. Exerc.* II. *cap.* 5.) Quod tamen, ut probe notandum eſt, non tantum de ipſis illis, qui ita e ſervitute liberati ſunt, ut vel Latinæ, vel dedititiæ fierent conditionis, eſt intelligendum: ſed etiam de liberis poſteriſque eorum, qui ejuſdem manebant conditionis. Quamvis enim hi proprie liberti vocari non poterant, retinebant tamen parentum conditionem, & hinc ſub generali Latinorum Junianorum & Dedititiorum nomine comprehendebantur. Ergo ad hos quoque non magis, quam ad parentes, Conſtitutio Antonini pertinebat. Ubi tamen adhuc notandum, hosce Latinos Junianos, quando jus Quiritium conſequebantur, non pro libertinis, ſed ſtatim pro ingenuis fuiſſe habitos, id quod diſcere optime poſſumus ex PAULLO *Recept. Sent.*

Sent. lib. IV. *tit.* 9. §. 8. (ubi vide *Schultingii not. pag.* 417. in *Juriſpr. Antejuſt.*) qui accurate hoc loco dicit: *jus Quiritium*: quod ibidem male interpretatur ANIANUS: *civitatem Romanam*: ſumitur enim hic jus Quiritium in ſenſu ſpeciali, ut ſupra explicavi. Præter hosce tamen in orbe Romano peregrinæ adhuc conditionis habebantur illi, quibus civitas Romana in pœnam erat erepta, ſive qui mediam capitis deminutionem erant paſſi. Quinam vero illi ſint, id alio loco explicabo: nunc id tantum obſervo, hosce in jure Romano proprie dici ἀπόλιδες, quaſi nullius certæ civitatis cives, (L. 17. §. 1. D. *de pœn.* L. 1. §. 2. D. *de legat.* 3. quibus etiam dedititios accenſet ULPIANUS *Fragm. tit.* XX. §. 14.) adeoque nullius juris civilis participes, eosque adeo differre ab aliis peregrinis, qui, licet juribus civitatis Romanæ carerent, ſuarum tamen civitatum cives erant, harumque juribus fruebantur: de qua differentia confer *Antonii Schultingii not.* ad *Ulpianum l. c. pag.* 631. in *Juriſpr. Antejuſt.* Tales tamen, tempore ſaltem liberæ reipublicæ, proprie non erant illi, quibus aqua & igne interdictum: hi enim certæ ſe civitati dicare ſolebant, cujus deinde cives cenſebantur: (Vid. CICERO *Orat. pro domo*, *cap.* 30. & *pro Cæcinna*, *cap.* 34. & *Famil.* lib. XIII. Epiſt. 19. TACITUS *Annal. lib.* IV. *cap.* 43.) qua de re alibi latius erit agendum. Cives liberarum urbium in imperio Romano poſt Conſtitutionem quoque Antonini peregrinos manſiſſe, exiſtimat laudatus *Schultingius* in *Juriſpr. Antejuſt. pag.* 621. ſed ſine ſufficienti ratione, ut in ſequentibus oſtendam. Cæterum poſt Antonini hancce Conſtitutionem omnes præterea peregrini manſerunt,

 qui

qui extra orbem Romanum vivebant, qui uſu tamen eorum temporum Barbari potius, aut Gentiles, quam peregrini vocabantur. Ad illos igitur jura peregrinorum applicari poſſunt, ſi non omnia, ſaltem plurima. Intercedit enim inter illos & veteres in orbe Romano peregrinos hoc diſcrimen, quod hi eſſent unius imperii ſubjecti, adeoque, exceptis juribus civitatis, in cæteris aliqua inter eos & cives Romanos juris etiam civilis eſſet communio: cum illis vero nulla omnino juris, niſi naturæ & gentium eſſet communio. Num vero Barbari iſti ideo Gentiles dicti fuerint, quia non jure civili, ſed gentium vivebant, ut putat *Andreas Alciatus Parerg. lib.* I. *cap.* 13. id aliis libenter dijudicandum relinquere volo. (Confer. *Marci Velſeri Rerum Auguſt. lib.* VIII. *Staniſlai Santinelli Diſſertationem de veterum Romanorum Nobilitate, cap.* 7. *pag.* 38. *Jacobi Gothofredi Comment.* ad *tit. Cod. Theod. de nuptiis gentilium, lib.* III. *tit.* 14.)

CA-

Digitized by Google

****

CAPUT V.

DE COLONIIS MUNICIPIIS PRÆFECTURIS FORIS CONCILIABULIS; NEC NON DE OPPIDIS LIBERIS AC FOEDERATIS.

SECTIO I.

DE COLONIIS IN SPECIE.

ARGUMENTUM.

§. 1. *Connexio.* 2. *Diverſa locorum diſtinctio ratione artis & juris.* 3. *Cur Colonias frequenter deduxerint Romani.* 4. *Coloniæ vel liberæ, vel ſubjectæ.* 5. *De reverentia Coloniarum erga Metropolim ſecundum hanc diſtinctionem.* 6. *Definitio Coloniarum Romanarum exponitur.* 7. *Prima Coloniarum diviſio ratione diverſorum jurium.* 8. *De coloniis civium Romanorum in provinciis.* 9. *De colonis Latinis.* 10. *Exemplum Hiſpaniæ.* 11. *Plinius explicatur contra Madernum de diviſione oppidorum.* 12. *Notatur Velſerus & Goeſius.* 13. *Altera coloniarum diviſio ratione immunitatis.* 14. *Tertia diviſio in togatas & militares colonias.* 15. *Differentia prima inter utraſque ratione auctoris: ubi generatim exponitur quorum auctoritate coloniæ deductæ fuerint in republica Romana.* 16. *Ordo in Coloniis deducendis ordinario obſervatus.* 17. *Quid Syllæ temporibus novi introductum fuerit; a quibus deducerentur coloniæ militares? de imperatorum hac in re poteſtate,*

teſtate, & libera, & oppreſſa republica. 18. *Secunda differentia ratione hominum, qui in colonias deducebantur. Quomodo milites in colonias deducebantur.* 19. *Tertia differentia ratione modi deducendi colonias: ubi ritus diverſi explicantur.* 20. *De differentia in nummis.* 21. *Dubia ex Vellejo Paterculo removentur. Quatenus omnes coloniæ juſſu Senatus conditæ ſint.* 22. *Dubium de Capua, an fuerit militaris colonia.*

1. Postquam hactenus generatim de diverſis in magno illo imperio Romano juribus actum fuit, ordo poſtulat, ut & de diverſa urbium, oppidorum ac locorum conditione, pro diverſis, quibus utebantur, juribus, noſtra methodo agamus. Quamvis enim hæc doctrina jam a multis fuerit pertractata, ubique tamen remanent capita quædam intacta, obſcura, confuſa atque difficilia, quæque adeo novam adhuc tractationem requirere videntur. Recte animad-
2. vertit *Carolus Sigonius de antiquo jure Italiæ lib.* II. *cap.* 1. aliam eſſe locorum diſtinctionem artis, aliam juris. Ratione artis loca vocabantur vel urbes, vel oppida, vel caſtella, vel vici, vel pagi: de quibus omnibus ſupra Capite I. actum fuit. Pro jurium vero diverſitate loca apud Romanos vocabantur Municipia, vel Coloniæ, vel Civitates liberæ ac fœderatæ, vel Præfecturæ, vel Fora, vel Conciliabula, de quibus omnibus hoc capite quædam ſunt dicenda. Et primo quidem loco generales quasdam de Coloniis admonitiones ponam.

3. Urbes amplas, & numero incolarum abundantes, Colonias ſemper varias ob cauſas deducere conſueviſſe, tam notum eſt, ut nulla indigeat pro-

probatione. Id vero, quod propius ad ſcopum noſtrum pertinet, inprimis eſt notandum, Albanos per totum olim Latium multas condidiſſe colonias: quin & ipſam urbem Romam Albanorum coloniam fuiſſe, notiſſimum eſt, & optime ex Dionysio Halicarnasseo *libb.* I. II. & III. diſci poteſt. Quid ergo mirandum Romanos hac quoque in parte Albanos imitatos fuiſſe, quum præſertim, ad amplum aliquod imperium adſpirantibus Romanis, multo majores hiſce, quam aliis cauſæ impellentes adfuerint. [Cauſas, cur a Romanis inprimis coloniæ deducerentur, expoſuerunt *Juſtus Lipſius de Magnitudine Rom. lib.* I. *cap.* 6. *Carolus Sigonius de antiquo jure Italiæ*, *lib.* II. *cap.* 2. *Wilhelmus Goeſius in Antiquitatibus Agrariis* (quæ *Scriptoribus rei agrariæ* adjunctæ leguntur) *cap.* 5. aliique: quibus nihil addo, quam ut obiter moneam, Goeſium fruſtra exiſtimare, Livium, dum *lib.* XXVII. *cap.* 9. dicit, colonos in agrum ſtirpis augendæ cauſa fuiſſe miſſos, reſpexiſſe ad jus illud, quo militibus uxores habere omnino vetitum erat. Plane præter Livii mentem: hujus enim prohibitionis tempore liberæ reipublicæ nullum reperitur veſtigium, illaque a perpetua demum ſub Imperatoribus militia originem habuit, ut alia occaſione probabo. Legi etiam meretur laudati Goeſii *Præfatio* ad Scriptores rei agrariæ, in qua breviter & nervoſe exponit, quanto prudentiores aliis gentibus Romani in coloniis deducendis fuerint.] Multum tamen intererat, id quod communiter obſervari non ſolet, qua lege colonia aliqua deduceretur, utrum tanquam libera, an tanquam ſubjecta. Liberæ coloniæ propriam ſibi reipublicæ formam, proprios magiſtratus, proprias denique le- 4.

leges conſtituere poterant: niſi quod plerumque coloni non tantum ſacra, ſed leges & mores quoque majorum, quibus hactenus aſſueti erant, ſponte retinere ſolerent. Subjectæ vero coloniæ nihil ſuo arbitrio agere debebant, ſed totæ a civitate illa, a qua erant deductæ, dependebant. (Conf. *Ezechielis Spanhemii* Opus præclarum *de Præſtantia & uſu Numiſmatum*, *Tom.* I. *Diſſ.* IX. *pag.* 568. *ſeqq. ed. Lond.* ubi multa de dependentia coloniarum a Metropoli ſua, docta ſane, congeſſit, ita tamen, ut hanc coloniarum differentiam, quam nunc propoſui, non obſervaverit, neque inter ea, quæ fierent ſpontanea colonorum voluntate, & quæ fierent ex neceſſitate, diſtinxerit.)

Utriuſque coloniarum generis paſſim in antiquis monumentis exempla proſtant, quæ nunc proferre non eſt animus: ſed id tantum annotare volo, colonias illas, quas Albani olim deduxerunt, ſi non omnes, pleraſque ſaltem liberas fuiſſe videri, & optime ex ipſius Romæ exemplo perſpicere poſſumus, quippe quam coloniam liberrimam, & ſine ulla dependentia, æquali tantum Albanis fœdere junctam fuiſſe, ſatis conſtat. Coloniæ vero, quas poſtea Romani deduxerunt, omnes ſine dubio fuerunt ſubjectæ ut cuivis antiquitatum Romanorum paullo peri-
5. tiori notum eſſe debet. Ex hac itaque diſtinctione facile dijudicare poſſumus, qualem coloniæ conditoribus ſuis reverentiam præſtare debeant. Nimirum, verum quidem utique eſt effatum illud Metii Fufetii, Albanorum Dictatoris, apud DIONYSIUM HALIC. *lib.* III. *pag.* 142. *ſeq. Quem honorem parentibus libri, eundem & coloni debent ſuis conditoribus.* Sed & illud verum manet, quod Rex Romanorum, Tullus Hoſtilius, Dictatori Al-

Albanorum reſpondet, apud eundem *lib.* III. *pag.* 147. *Quod colonias ſuis matricibus lege naturæ ſubjici oportere contenditis, nec verum, nec æquum nobis videtur: multæ enim gentes ſunt, in quibus metropoles coloniis ſuis non imperant, ſed parent.* Ad quæ concilianda, non cum quibusdam dicere volumus, Metium Fufetium de ſubjecta, Tullum Hoſtilium vero de libera colonia agere: nam utrique de Roma omnium confeſſione libera, loquuntur. Sed diſtinguendum potius exiſtimo inter reverentiam & ſubjectionem. Reverentiam omnes utique coloniæ matrici civitati præſtare debebant: ad ſubjectionem vero liberæ coloniæ non erant obligatæ, ſed illæ tantum, quæ Metropoleos imperio erant ſubjectæ. Ad uberiorem hujus rei illuſtrationem ſciendum eſt, verum omnino eſſe, quod veteres conſtanter tradunt, relationem inter coloniam & civitatem matricem eandem eſſe, quam inter liberos & parentes: id quod variis tum rationibus, tum veterum teſtimoniis confirmare facile poſſem, ſi adhuc dubium eſſet. (Vid. interim Livius *lib.* XXVII. *cap.* 11. ibique *Interpp. Chriſtophorus Adamus Rupertus* in *Obſervatt. ad Florum, lib.* I. *cap.* 3. *pag.* 98. *Joh. Freinshemius* in *not. ad Curtium, lib.* IV. *cap.* 2 §. 10. *Henricum Valeſium* in *not. ad Excerpta Peireſciana, pag.* 8. *Ezechiel Spanhemius* in Opere ſupra laudato.) Quemadmodum vero hæc relatio differt pro diverſa liberorum conditione: ita illam quoque pro diverſa coloniarum conditione differre neceſſe eſt. Coloniæ videlicet liberæ ſimiles ſunt liberis emancipatis; ſubjectæ vero liberis in poteſtate adhuc conſtitutis. Liberi in poteſtate conſtituti parentibus non modo reverentiam, ſed & ſummam

ne-

neceſſario obedientiam præſtare debent: in liberis vero emancipatis, licet eadem maneat reverentia, ceſſat tamen eadem obedientia, quippe quæ ab his non niſi ſponte ex reverentia præſtatur. Ita etiam ſe res habet in coloniis. Coloniæ enim, quæ ſub imperio civitatis matricis ſunt, in omnibus illi non modo reverentiam, ſed & ſtrictam obedientiam neceſſario præſtare tenentur: coloniæ vero liberæ ad nullam ex neceſſitate obedientiam, ſed ad ſolam reverentiam erant obſtrictæ. Hisce igitur probe obſervatis, non modo varia veterum loca, quæ prima ſpecie inter ſe pugnant, facile conciliari, ſed & multa, quæ in antiquis monumentis occurrunt, facta ſecundum juſtitiæ regulas facile dijudicari poterunt.

6. Jam quædam etiam de definitione coloniarum erunt admonenda. *Wilhelmus Goeſius* in *Antiquitatibus Agrariis*, ſubjunctis Scriptoribus rei agrariæ, *cap.* 2. primo adducit definitionem CICERONIS, (quam ego tamen hactenus in Operibus Ciceronis reperire non potui) quod Colonia ſit civitas a matrice civitate deducta: eamque ad quasvis alias, quam ad Romanas colonias pertinere exiſtimat. Verum hoc eſt, ſi definitionem Coloniarum Romanarum, ſive coloniarum ſubjectarum in ſpecie habere volumus: tunc enim hæc definitio non ſatis eſt determinata, quippe quæ ad colonias in genere ſpectat, adeoque liberas quoque comprehendit. Hinc doctiſſimus ille vir aliam definitionem, quæ magis ad Romanos colonias explicandas apta eſt, ſuppeditat ex SERVII *Commentariis ad Virgilii Ecclog.* IX. eamque docte ſatis & prolixe explicat. Sed quum tam vitioſis ille exemplaribus uſus fuerit, ut emendationem etiam tentare neceſſe habuerit; eadem vero definitio multo

multo plenior & emendatior legatur in noviſſima *Pancratii Maſvicii* editione, & quidem in *Commentariis ad lib.* I. *Æneid. v.* 16. non injucundum, ut ſpero, erit lectoribus, ſi eam hoc loco integram exhibuero. [Obiter tamen annoto, jam *Marcum Velſerum Rerum Auguſtanarum Vindelicarum lib.* III. in principio integram hanc coloniarum definitionem eodem modo, ut in Maſvicii editione legitur, exhibuiſſe ex Servii ſchedis, quas a *Franciſco Modio* accepit.] Duas vero definitiones ſuppeditat SERVIUS, quæ eodem quoad ſenſum redeunt. Prior, quæ clarior eſt, & ab ipſo Goeſio ſatis explicata, ita ſe habet: *Colonia eſt cœtus eorum hominum, qui univerſi deducti ſunt in locum certum, ædificiis munitum, quem certo jure obtinerent.* Poſterior vero definitio paullo obſcurior (quam Goeſius ob mutilatas & depravatas, quibus uſus eſt, editiones intelligere non potuit, & hinc contra auctoris mentem emendavit) ita in Maſvicii editione legitur: *Colonia eſt, quæ Græce* παροικία *vocatur; dicta autem eſt a colendo. Eſt autem pars civium, aut ſociorum,* (nam Romani non ſolum ex civibus ſuis colonias deducebant, ſed ſæpe etiam ex ſociis, aut ex civibus & ſociis ſimul, cujus rei exempla paſſim in hiſtoria Romana proſtant) *miſſa*, (id eſt deducta, ſubintellige vero: in locum certum) *ubi rempublicam habeant*, (habebant enim Romanæ coloniæ omnes ſpeciem quandam reipublicæ. Vid. GELLIUS *Noct. Attic. lib.* XVI. *cap.* 13. Hinc ſolæ diviſiones & aſſignationes agrorum quorundam non ſtatim faciebant coloniam: ſed neceſſe præterea erat, ut illi, quibus agri aſſignati, corpus aliquod, & communem quandam efficerent rempublicam. Conf. *Goeſii Antiqq.*

Digitized by Google

agrar. cap. 6.) *ex conſenſu ſuæ civitatis*, *aut publico ejus populi*, *unde profecta eſt*, *conſilio.* (Non ergo liberam & independentem hæ coloniæ rempublicam habebant, ſed tantum ex conſenſu civitatis matricis, adeoque ab ea penitus dependebant.) *Hæ autem coloniæ ſunt*, *quæ ex conſeuſu publico*, *non ex ſeceſſione ſunt conditæ.* His ultimis verbis Grammaticus ille ſatis indicat, ſe non in genere colonias definire voluiſſe, ſed eas tantum, quæ conſenſu ſunt deductæ, ita, ut civitati matrici ſubjectæ maneant; quales omnes erant Romanæ coloniæ. Liberarum vero coloniarum aliæ conſenſu quoque civitatis matricis conditæ ſunt, ut Roma: aliæ autem per ſeceſſionem, ut vetus Carthago, ſi vulgari traditioni fides eſt adhibenda. Ab hiſce Servii definitionibus non multum differt definitio Viri Ampliſſimii *Everhardi Ottonis*, quam dedit in Tractatu *de Ædilibus Coloniarum & Municipiorum*, *cap.* 1. *pag.* 3. *Coloniæ ſunt cœtus hominum*, *publica auctoritate*, *ex urbe in locum certum*, *ædificiis munitium*, *deducti*, *jura inſtitutaque Quiritium habentes.* Qua in definitione ultima verba (quæ ſine dubio ex GELLIO *lib.* XVI. *cap.* 13. ſunt deſumta) ſi de legibus, aut inſtitutis privatis intelliguntur, omnino vera ſunt: nam coloniæ non propriis legibus, ſed a Romanis præſcriptis utebantur, ſacra quoque aliaque Romanorum inſtituta retinere ſolebant. Si quis vero ea de ipſo Quiritium & civitatis jure intelligeret, is ſine dubio falleretur, quia non omnes, ſed quædam tantum coloniæ habebant jura Quiritium & civitatis, aliæ vero illis non gaudebant, ut coloniæ Latinæ, Italicæ & Provinciales.

7. Quum igitur non omnes unius ejuſdemque conditionis

Digitized by Google

ditionis eſſent coloniæ, hinc varia oriuntur coloniarum genera, quæ jam paullo accuratius ſunt explicanda. Et primo quidem pro diverſitate jurium, quibus coloniæ in imperio Romano utebantur, aliæ coloniæ erant civium Romanorum, aliæ Latinæ, aliæ Italicæ, aliæ denique Provinciales. Ut vero hæc diviſio eo rectius intelligatur, ante omnia ſciendum eſt, jura & prærogativas coloniarum civium Romanorum & coloniarum Latinarum primario reſpicere colonos ſive perſonas in iſtis coloniis: ſecundario tantum ad ipſam pertinere coloniam: contra jura coloniarum Italicarum & Provincialium primario reſpicere ipſam coloniam, ſive prædia potius, quæ ad iſtam coloniam pertinent; ſecundario vero ad colonos, ſive incolas iſtarum coloniarum tantum pertinere. Hinc nulla colonia ſimul eſſe potuit Italica & provincialis, quia nulla prædia ſimul Italica & provincialia eſſe poterant. Nulla etiam colonia ſimul eſſe poterat civium Romanorum & Latina: quia nulli homines ſimul cives Romani & Latinæ conditionis eſſe poterant. Aſt poterat colonia ſimul eſſe civium Romanorum & Italica; poterat etiam ſimul eſſe Latina & Italica: nam prius ad jura hominum, poſterius ad jura prædiorum pertinet. Neque obſtat, quod coloniæ Italicæ ſæpe Latinis & civium Romanorum opponantur: tunc enim intelliguntur coloniæ, quæ jus tantum Italicum habebant; cæteræ vero a potiori jure vocabantur vel civium Romanorum, vel Latinæ, licet & hæ coloniæ ratione prædiorum haberent jus Italicum. Immo ego omnino exiſtimo, omnes non tantum civium Romanorum colonias, ſed & Latinas, ſimul quoque ſemper habuiſſe jus Italicum. Aſt e contrario

trario dici nequit, colonias Italicas ſemper quoque fuiſſe vel Latinas, vel civium Romanorum: multæ enim coloniæ habebant tantum jus Italicum, ita, ut incolæ earum neque civium Romanorum, neque etiam Latinorum juribus fruerentur. Et quod ad ipſam quidem attinet Italiam, nemo facile dubitabit, quin omnes in illa coloniæ jus quoque Italicum habuerint: aſt multas quoque in Italia fuiſſe colonias civium Romanorum jam ante legem Juliam, multas quoque Latinorum, inter omnes conſtat. Per legem Juliam, licet illa, ut alibi notavi, in ipſa locorum conditione nihil per ſe mutaverit, per conſequens tamen effectum fuit, ut omnes in Italia, quoad jura quoque hominum, fierent civium
8. Romanorum. Ad provincias vero quod attinet, multæ hic oriuntur dubitationes. Et primo quidem valde dubium eſt, num Romani in provincias quoque deduxerint colonias civium Romanorum: id quod quidem in præſenti neque affirmare, neque negare volo: fateor tamen libenter, mihi hactenus nondum ullam occurriſſe in provinciis coloniam, de qua certo conſtaret, eam civium fuiſſe Romanorum. Volumus tamen interim tanquam hypotheſin ponere, fuiſſe etiam in provinciis colonias civium Romanorum: jam ergo quæſtio exinde naſcitur, num hujus generis coloniæ quoad prædia habuerint quoque jus Italicum. Poſſet quidem aliquis ex ipſis meis principiis exiſtimare, hoc non fuiſſe neceſſarium. Docui enim antecedenti capite, civem Romanum prædia etiam provincialia poſſidere potuiſſe, & hujuſmodi quidem generis prædia ſuam non mutaſſe conditionem, ſi a civibus Romanis poſſiderentur. Hinc in eam aliquis fa-

facile incidere poſſet opinionem, nihil impedire, quo minus colonia civium Romanorum in ſolo ſtatuatur provinciali. Enimvero hæc ratiocinatio facile infringitur, ſi ſimul adſumamus principia, quæ capite III. ſtabilivimus. Ibi enim expoſitum fuit, multum intereſſe, num homines tantum ſine reſpectu loci civitate donarentur, an vero integris oppidis per univerſitatem jus civitatis Romanæ concederetur: priori caſu verum manet, nullam exinde mutationem locis accidiſſe. Aſt ſi jus civitatis certo alicui oppido concederetur, tunc illud exinde vocatum fuit oppidum civium Romanorum, & in ſenſu latiori Municipium, & hinc eatenus quoque beneficii hujus, quo incolæ hujus oppidi donati fuerunt, particeps factum fuit, ut bona etiam iſtius, ſive prædia, ad dominium juris civilis habilia facta fuerint: ex quo jam ſequitur, omnia municipia, ſive civium Romanorum oppida, in provinciis etiam, quoad prædia habuiſſe jus Italicum. Eodem vero modo ſe res habere debuit, ſi coloniæ civium Romanorum in provincias deducerentur. Tunc enim ſine dubio locus quoque, in quam deducebatur iſta colonia, juris civilis habilis factus, adeoque jus Italicum quoad prædia nactus fuit. Aliter vero ſe res habuit, quum omnes in orbe Romano homines ingenui jure civitatis ab Antonino Caracalla donarentur: ex hac enim conſtitutione nullæ proprie coloniæ civium Romanorum factæ fuerunt, adeoque nullæ quoque, neque per ſe, neque per conſequens, exinde conſecutæ ſunt jus Italicum: hoc enim beneficium (ſi ita vocandum eſt, quod in fiſci tantum commodum cedere debebat) hominibus ſolummodo fuit conceſſum, & in locorum conditione

 nul-

nullam attulit mutationem, ut plus ſimplici vice jam monui. Licet ergo omnium incolæ coloniarum jam eſſent cives Romani, non tamen propterea ipſæ coloniæ accurate dici poterant civium Romanorum. Immo potius dicendum eſt, quoad homines diſtinctionem illam inter colonias civium Romanorum, Latinas, Italicas & Provinciales prorſus ceſſaſſe: quoad ipſas vero colonias, & prædia earum, diſtinctionem tantum inter colonias Italicas & Provinciales permanſiſſe.

9. Idem diſcrimen, quod paullo ante explicavi, ad colonias etiam Latinas applicari poteſt. Nimirum etiam hic refert, utrum homines tantum jure Latii donarentur, ſine loci reſpectu, an vero ipſa oppida donarentur hocce jure, ut exinde fierent oppida Latina, vel coloniæ Latinæ, quales paſſim in provinciis reperiri notum eſt. Priori caſu nullum exinde commodum ad ipſa loca accedebat: quum enim ne civis quidem Romanus qualitatem fundi provincialis mutare poterat, multo minus id facere potuiſſet Latinus. Aſt poſteriori caſu etiam oppidis hisce & coloniis jus Italicum quoad prædia donatum fuiſſe, non ſine probabili ratione exiſtimo. Nam primo quidem coloniæ & oppida Latini juris non fuiſſent præſtantiora Italicis, ſi non habuiſſent ſimul jus quoque Italicum quoad prædia ſua. Quum enim quoad prædia nulla alia eſſet diſtinctio, quam inter Italica & provincialia: ſi Latina oppida non habuiſſent jus Italicum, fuiſſent utique quoad prædia ſua provincialia, adeoque Italicis inferiora. Si enim vel maxime homines præſtantius jus habuiſſent quoad jura perſonalia, ipſæ tamen coloniæ oppidaque per ſe fuiſſent inferiora, quum om-

omnes tamen ea potiora fuiſſe & præſtantiora
fateantur. Deinde omnes quoque ſcriptores La-
tinas colonias oppidaque a provincialibus ſepa-
rant. (Vid. e. g. Plinius *Hiſt. Nat. lib.* III.
cap. 1. & 3.) ergo ad Italica potius, quam pro-
vincialia loca ſunt referenda. Denique cum La-
tinis colonariis jus mancipationis, adeoque etiam
dominii legitimi datum fuerit; (Vid. Ulpianus
Fragm. tit. XIX. §. 4.) hoc jus vero non mul-
tum illis utilitatis præſtare potuerit, ſi non colo-
niæ Latinæ jure quoque Italico fuiſſent donatæ:
exinde probabiliter admodum concludere debe-
mus, colonias aliaque oppida Latina habuiſſe
quoque jus Italicum. Quoad bona & prædia igi-
tur non differebant coloniæ civium Romano-
rum, Latinæ & Italicæ, ſed tantum quoad jura
hominum: & hinc, ut paullo ante dixi, ceſſa-
vit hæc diſtinctio poſt conſtitutionem Antonini
Caracallæ, & illud tantum, quod ad ſola præ-
dia pertinebat, diſcrimen, inter colonias ſcilicet
Italicas & provinciales in ſuo permanſit ſtatu.
Præterea illud quoque hoc loco non eſt præter-
eundum, ſi colonia aliudve oppidum jure Latii
eſſet donatum, tunc gaudebat ſingulari quoque
illo privilegio, ut omnes, qui ibi magiſtratum
geſſerunt, protinus fierent cives Romani, ut ſu-
pra cap. III. dictum fuit. Aſt hocce etiam pri-
vilegium ad homines, qui ſine loci alicujus re-
ſpectu jure Latii erant donati, applicari haud
poterat. Si exemplum hac de re, quod homi- 10.
nes ſcilicet ſine loci, vel oppidi certi reſpectu,
jure Latii donati fuerint, deſideramus, illuſtre
ſane nobis ſuppeditat Plinius in *Hiſt. Nat. lib.*
III. *cap.* 3. *in fine*: ubi narrat, Veſpaſianum Im-
peratorem univerſæ Hiſpaniæ jus Latii tribuiſſe,

Digitized by Google

id eſt omnibus in Hiſpania hominibus; (exceptis tamen iis, qui jam antea jus civitatis Romanæ, vel jus Latii habebant) non vero omnibus Hiſpaniæ oppidis. Per ipſam enim connexionem ſatis ſignificat PLINIUS, hocce beneficium quoad loca & oppida Hiſpaniæ nullam omnino feciſſe mutationem. Cur enim tam ſollicite in antecedentibus diſtinxiſſet Plinius oppida civium Romanorum, Latinorum, Colonias & oppida ſtipendiara, ſi Veſpaſianus omnium prorſus oppidorum conditionem uno edicto adæquaſſet. Sine dubio igitur hocce fuit privilegium hominum tantum, non locorum, & ipſa nihilominus oppida in ſuo permanſerunt ſtatu priori. Hinc quæ jam antea erant oppida civium Romanorum, aut Latina, ejuſdem manebant conditionis, quemadmodum etiam Italica aut provincialia loca propterea non meliorem adquirerent ſtatum. Nihil ergo impedivit, quo minus poſtea adhuc quibusdam in Hiſpania oppidis jus Italicum concedi potuerit, ut jam ſuſpicatus eſt B. *Cornelius van Bynkershoeck* in *Obſervatt. juris lib.* V. *cap.* 21. *in fine*, *pag.* 78. Neque ulla adeſt cauſa, cur vereatur *Ezechiel Spanhemius* in *Orbe Rom. Exerc.* I. *cap.* 15. *pag.* 89 ne forte Municipiorum ſors imminuta fuerit per Veſpaſianum. Præterquam enim quod hoc, ut dixi, beneficium ad homines, non ad oppida pertinuerit, nullo quoque modo ſtatuendum eſt, per illud cujuſque ſortem fuiſſe imminutam, vel deteriorem factam, quum Veſpaſianus id tantum intenderit, ut Hiſpani illi, qui nondum vel jus civitatis, vel jus Latii habebant, hoc ſaltem, Latii ſcilicet jure fruerentur, ut infra etiam *cap.* 17. *pag.* 106. agnoſcere quodammodo videtur ipſe Spanhemius. Hinc ipſa etiam Hiſpania,

ſpania, non minus, ut antea, permanſit provincia,
& eodem, ut antea, modo regebatur. Fortaſſis
etiam PLINIUS oppida Latio antiquitus donata, (ut
loquitur *cap.* 1.) ideo vocavit *cap.* 3. Latinorum ve-
terum, ad differentiam ſcilicet Latinorum horum
novorum, qui jus Latii ſine loci alicujus reſpectu ex
edicto Veſpaſiani conſecuti fuerunt: quam tamen
conjecturam nemini obtrudere volo. Id vero accu- 11.
ratiorem adhuc attentionem omnino mereri vide-
tur, qua ratione PLINIUS in *Hiſt. Nat. lib.* III.
cap. 1. & 3. oppida in Hiſpania diſtinguat. *Cap.*
1. de Ulteriori Hiſpania dicit: *Oppida omnia*
CLXXV. *in iis Coloniæ* VIII. *Municipia* VIII. *La-
tio antiquitus donata* XXIX. *libertate* VI. *fœdere*
IV. *ſtipendiariæ* CXX. De Hiſpania Citeriori *cap.*
3. dicit: *Præter civitates contributas aliis, provin-
cia ipſa* CCXCIV. *continet oppida: in iis Colonias*
XII. *Oppida civium Romanorum* XIII. *Latinorum
veterum* XVII. *Fœderatorum unum*: *ſtipendiaria*
CXXXVI. Ex collatione horum duorum loco-
rum primo quidem facile apparet, Plinium loco
poſteriori oppida civium Romanorum vocaſſe,
quæ priori Municipia vocaverat: neque id quem-
quam negaturum eſſe putaſſem, niſi vidiſſem,
V. Cl. Job. Madernum in *notis* ad *Sigonium de
antiquo jure Italiæ lib.* II. *cap.* 6. *pag.* 415. *no-
viſſ. edit. Opp. Sigonii* exiſtimaſſe, Plinium per
Colonias intelligere ſolas provinciales; per oppi-
da civium Romanorum vero ipſas civium Roma-
norum Colonias; per oppida Latinorum veterum
denique Colonias Latinas. Aſt hæc doctrina nul-
lo modo conſiſtere poteſt: ne enim repetam,
nondum certum & exploratum eſſe, num etiam
coloniæ civium Romanorum in provinciis fue-
rint, id tantum dico: 1) contra conſuetudinem

veterum ſcriptorum utique eſſe, ut coloniæ civium Romanorum ſimpliciter vocenter oppida civium Romanorum, quum potius per hæc ordinarie intelligantur Municipia, in ſenſu ſaltem latiori. 2) Plinium etiam hic Municipia revera intellexiſſe, ſatis apparet ex collatione hujus *cap.* 3. cum *cap.* 1. 3) Plinius quoque ipſe oppida civium Romanorum diſerte a coloniis diſtinguit. Porro & illud admitti nequit, Plinium per oppida Latinorum veterum intellexiſſe colonias Latinas: nam 1) & ipſe hæc a coloniis ſatis diſtinguit, 2) & alias quoque apud veteres ſcriptores oppida Latina a coloniis Latinis ſæpe diſtingui ſolent. Non enim cogitandum eſt, nulla alia in provinciis oppida Latina fuiſſe, quam colonias Latinas: ſæpe enim oppida quædam jure Latii donabantur, quæ neque revera erant coloniæ, neque ſimul etiam jure Coloniarum erant donatæ. Unde *Ezechielis Spanhemii* quoque ſententiam admittere non poſſumus dum in *Orbe Rom. Exerc.* I. *cap.* 9. *pag.* 52. exiſtimat, per Colonias Plinium intellexiſſe ſolum colonias civium Romanorum; per oppida vero Latina Colonias Latinas. Cui ſententiæ, præter ea, quæ jam dixi, illud etiam adverſatur, quod hac ratione ad nullam claſſem referre poſſis Colonias Italicas, quarum tamen Plinius in ſequentibus mentionem facit. Reſtat ergo, ut dicamus, Plinium ſub generali Coloniæ vocabulo comprehendiſſe omnes omnino cujuſcunque ſortis & conditionis Colonias, eoſque diſtinxiſſe ab oppidis civium Romanorum, ſive Municipiis, ab oppidis Latinis, (quæ ſcilicet non erant ſimul coloniæ) ab oppidis liberis, ab oppidis fœderatis, ab oppidis denique provincialibus, quæ ab eo ſtipendiaria vocantur.

In-

Inter iſtas vero colonias fuiſſe quasdam Latinas, quasdam Italicas, quasdam immunes, ex recenſione ſingulorum oppidorum *cap.* 1. & 3. apparet. Inter iſtas ſine dubio etiam fuerunt quædam ſtipendiariæ, quas tamen ſimul quoque a provincialibus & ſtipendiariis oppidis diſtinguit, ideo, quia illæ ob jus ſaltem coloniæ aliis provincialibus oppidis dignitate præſtabant, ut ipſe *Cl. Madernus* ſuſpicatus eſt in *notis* ad *Sigonium de antiquo jure Italiæ lib.* I. *cap.* 21. Num vero coloniæ etiam provinciales præ aliis oppidis provincialibus ratione tributi benigniores habitæ fuerint, ut idem vir doctus ibidem exiſtimat, id diſertis veterum teſtimoniis, & ſolidis rationibus deſtitutus, neque affirmare, neque negare volo. Id etiam ex iisdem, quos hactenus explicavi, Plinij locis notari poteſt, eum diſtinguere inter libera & fœderata oppida: licet enim hæ qualitates ſæpe in unum concurrere ſolerent oppidum, & poterant tamen etiam eſſe ſeparatæ. Nam quæ civitates ex ſpeciali privilegio liberæ erant, non ſemper propterea quoque erant fœderatæ: & contra fœderatæ non ſemper etiam plenaria gaudebant libertate. Sed hoc infra latius explicandum venit. Jam redeo ad illam colonia- 12.
rum diviſionem, de qua hactenus actum. Fortaſſis enim jam lector exſpectabit, ut & ſigillatim aliquid dicam de ſingulis hiſce coloniarum generibus. Sed quod quidem ad colonias Latinas, Italicas & Provinciales attinet, quæ de illis ſingulis dicenda eſſent, ea jam omnia fere a ſcriptoribus, qui tum de colonjis, tum de hiſce juribus commentati ſunt, fuerunt occupata, & ſi quod etiam ſpicilegium ſupereſſet, id ipſi tamen Atiquitatum Romanarum Syſtemati, quod meditor,

tor, reſervare, quam nunc præripere malo. De Coloniis vero civium Romanorum deinceps, quum ad municipiorum jura pervenero, agam, quia utrorumque jura a ſe invicem commode ſeparari nequeunt. Interim hoc loco duos adhuc viros doctiſſimos cautionis gratia notare volo, qui minus accurate hac de re locuti ſunt. Primus eſt *Marcus Velſerus*, qui *lib.* IV. *Rerum Auguſto-Vindel. pag.* 231. *Tom.* I. Opp. ita loquitur: *Antiquitus aliæ civium Romanorum, Latinæ aliæ: at Italia tota civitate donata, optimo fuere jure, quæ Italicum jus adeptæ; peſſimo, quæ nihil, præter nomen coloniæ adeptæ.* Conſtat enim inter omnes, poſt communicatam cum tota etiam Italia civitatem Romanam differentiam adhuc fuiſſe inter colonias civium Romanorum, Latinas & mere Italicas. Licet enim omnes in Italia coloniæ jus civitatis Romanæ per legem Juliam adeptæ ſint: manſerunt tamen in provinciis coloniæ, quæ non niſi jus Italicum haberent, quæque adeo inferiores erant coloniis civium Romanorum & Latinis. Coloniæ ergo Italicæ non fuerunt optimo jure, niſi poſtquam cum omnibus in toto orbe Romano ingenuis jus civitatis communicatum fuit. Alter eſt *Wilhelmus Goeſius*, qui multis modis errat, quando in *Antiquitatibus Agrariis*, *cap.* 2. *pag.* 12. dicit, *poſtquam lege lata per Cæcilium Metellum Italia immunis a tributis eſt facta, ut narrat* DIO lib. XXXVII. *colonias, quæ jus Italicum conſecutæ ſunt, vix a jus civitatis adeptis diſcrepaſſe, quam jure ſuffragiorum, quod eis coutulit* Auguſtus, *ut docet* SUETONIUS *in ejus vita.* Nam 1) per legem Cæciliam coloniis juris Italici immunitas non eſt conceſſa: ea enim ſuſtulit tantum portoria in ipſa Italia, ut ſatis notum: im-

immunitas vero coloniarum juris Italici longe aliam habet rationem, ut priori capite fuit oſtenſum. 2) Per immunitatem coloniæ juris Italici diſtinguebantur tantum a provincialibus: in cæteris vero multum differebant a coloniis civium Romanorum, ut ex tota noſtra tractatione abunde patebit. 3) Auguſtus nunquam coloniis iſtis, quæ jure tantum Italico gaudebant, conceſſit jus ſuffragii: quomodo enim jus ſuffragii habere poſſent, quæ ne jure quidem civitatis gauderent? Neque etiam ille primus jus iſtud conceſſit coloniis in Italia, quippe quæ plenum cum jure ſuffragii jus civitatis jam antea per legem Juliam habebant: Auguſti ergo beneficium longe aliam habuit rationem, ut jam in notis ad Suetonium docuit *Cauſaubonus* aliique.

Jam ad aliam coloniarum diviſionem progre- 13.
dior, quæ quidem certo modo ab ea, quam hactenus propoſui, dependet, non tamen cum illa eſt confundenda. Nimirum quædam coloniæ ſunt Immunes; aliæ vero non immunes. Hæc diviſio eatenus cum priori coincidit, quod omnes quidem coloniæ Italicæ, ſive meræ, ſive ſimul Latinæ, aut civium Romanorum fuerint, immunes eſſent quoad tributa ſoli & capitis; aſt ſæpe tamen numero alia hiſce onera incumberent: (Vid. Cicero *in Verrem lib.* V. *cap.* 22.) omnes contra provinciales regulariter & ſua natura eſſent tributariæ & ſtipendiariæ. Sed hæ tamen per modum privilegii immunitatem etiam vel plenam, vel minus plenam impetrare poterant. Duo vero errores hic omnino evitandi ſunt: errant enim primum illi, qui jus Italicum in ſola immunitate conſtitiſſe putant, ut *Samuel Petitus* in *Obſervationum lib.* II. *cap.* 4. & *Adrianus*

nus Turnebus in *Adverſariorum lib.* I. *cap.* 11. & *lib.* IX. *cap.* 15. Nam & jus Italicum talem tantum involvebat immunitatem, quæ a tributis, quibus provinciæ premebantur, liberabat: & contra immunitas ſine jure Italico conſiſtere poterat, ut priori capite abunde fuit explicatum. Aſt ab altera parte illi quoque graviter errant, qui coloniis Italicis immunitatem a tributo ſoli & capitis plane denegant, ut *Jacobus Cujacius* in *Obſervationum lib.* X. *cap.* 35. & V. *Cl. Johannes Madernus* in *notis* ad *Sigonium de antiquo jure Italiæ*, *lib.* I. *cap.* 21. ſed & hi jam priori capite ſufficienter refutati ſunt, ut plura addi non ſit neceſſe. Conferri interim de hac coloniarum diviſione merentur, præter laudatum Petitum, *Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib.* IV. *cap.* 10. & inprimis *Petrus Burmannus* in *Diſſertatione de Vectigalibus populi Romani*, *cap.* 1. *pag.* 6. *ſeqq.* Hic doctiſſimus hujus ſeculi criticus recte quidem in theſi inquit, colonos aliquando vectigali fuiſſe obſtrictos, ſi ſcilicet iſtiusmodi generis agros acciperent: aſt loca tamen, quæ pro hac theſi probanda adducit, mihi huc non pertinere videntur. Confundit enim vir hic alias acutiſſimus duas vocis *coloni* ſignificationes: Colonus enim eſt vel incola coloniæ proprie ſic dictæ, vel ita etiam vocatur is, qui partem agri publici quandam pro certo vectigali colendam accipit. Dum ergo probare vult, colonos priori ſenſu vectigali fuiſſe obnoxios, adducit loca, quæ de vectigali colonorum ultimo tantum ſenſu loquuntur, ut aperte videre licet ex locis PLUTARCHI in *vita Gracb. pag.* 827. LIVII *lib.* IV. *cap.* 36. APPIANI de *Bell. Civil. lib.* I. *pag.* 353. in quibus, ultimis præſertim duobus locis, ſatis clare

clare diſtinguuntur illi, quibus agri vectigales elocantur, ab iis, qui in colonias deducuntur. Sic dum porro probare vult colonorum agros vectigales vocatos fuiſſe, quia ſcilicet vectigal populo Romano præſtare debebant, adducit locum ex Hygino *de Condit. Agror.* qui aperte loquitur de talibus agris vectigalibus, qui ab ipſis coloniis & municipiis pro certo vectigali elocantur. Non felicior idem vir doctiſſimus eſt in *cap.* 2. *pag.* 13. Recte enim in theſi quidem dicit, non æquale ac idem omnes vectigal repræſentaſſe colonias, ſed partim pro legibus, quibus deductio facta, partim pro terræ ubertate, vel majus, vel minus exactum fuiſſe: aſt loca tamen probantia huc non ſpectant. Hygini enim locus generatim tantum loquitur de agris vectigalibus, non in ſpecie de agris coloniarum. Dionysius vero Halic. *lib.* IX. *cap.* 60. plane non loquitur de vectigali, quod coloniæ populo Romano præſtabant, ſed de vectigali, quod veteres Antiates, quibus ſua relinquebantur, novis colonis, a Romanis miſſis, præſtare tenebantur. Hæc cautionis tantum gratia annotare debui, non ut tanti viri manes turbare velim.

Eſt alia quoque adhuc coloniarum diviſio, 14.
quam ut ſilentio plane præterire nequeam, frequentes faciunt eruditorum hallucinationes. Nimirum aliæ coloniæ erant togatæ, ſive plebejæ, ſive paganæ, aliæ vero militares. Vulgo docent antiquarii, colonias militares eſſe, in quas milites emeriti, ſive veterani deducebantur, harumque coloniarum auctorem primum fuiſſe Syllam conſentiunt. Sed hoc non ita ſimpliciter, ut proponi ſolet, accipi poſſe, jam oſtendit *Wilhelmus Goeſius* in *Antiquitatibus Agrariis*, *cap.* 3. qui ipſemet

met tamen hanc doctrinam nondum plene ſatis atque dilucide explicaſſe videtur. Hinc ego inprimis operam dabo, ut hæc diviſio quam accuratiſſime enucleetur: id quod optime fiet, ſi ante omnia fundamenta ejus indicavero. Eſt ergo hæcce diviſio deſumta: 1) a perſonis, quarum auctoritate, & per quas deductio fieret: 2) ab hominibus, qui in colonias deducebantur: 3) ab ipſo deductionis modo: in hiſce enim omnibus capitibus hæc duo coloniarum genera inter ſe differebant, quæ ideo paullo accuratius veniunt explicanda.

15. I. Quod ergo primo ad perſonas attinet, quarum auctoritate, & per quas deductio coloniarum fieri deberet, licet Goeſius multa hac de re dixerit, ea tamen variis adhuc difficultatibus eſt involuta, quia ipſi plerumque veteres ſcriptores non ſatis accurate indicarunt, cujus auctoritate juſſuque colonia aliqua deducta fuerit, & jura quoque pro diverſis temporibus hac in re variaſſe videntur. Initio quidem reipublicæ Romanæ Reges colonias deduxiſſe, nemo poteſt negare: dubitare tamen adhuc licet, propriane hoc fecerint auctoritate, an auctoritate, vel conſenſu ſenatus populive: hoc enim neque ex locis a Goeſio adductis, neque ex aliis veterum ſcriptorum ſatis manifeſte dijudicari poteſt. Effatum enim illud vulgatiſſimum POMPONII ICti, initio omnia a regibus manu gubernata fuiſſe, non tam late patere, quam vulgo exiſtimatur, jam ſatis ad nauſeam uſque a doctiſſimis ICtis eſt inculcatum. Nos contra ſcimus, nihil a regibus, quod alicujus momenti ſit, ſine ſenatus populive conſenſu fuiſſe actum. Si quis ergo ſtatueret, colonias quoque a Regibus, (de Superbo, tyranno

no potius, quam rege, ſermo non eſt) ſine ſenatus ſaltem auctoritate, non fuiſſe deductas, nihil eſſet in ejus ſententia, quod reprehendi mereretur. Nos tamen in veterum ſcriptorum ſilentio rem dubiam relinquere, quam incertis indulgere conjecturis malumus. Convertimus nos potius ad tempora liberæ reipublicæ de quibus plura exſtant veterum monumenta. Regibus exactis quum ſumma rei ad populum rediiſſet, coloniarum quoque arbitrium ad eum rediiſſe ſtatuit Goeſius, idque probare vult ex loco CICERONIS *de lege Agrar. Orat.* II. *cap.* 7. *Quum omnes poteſtates, imperia, curationes ab univerſo populo Romano proficiſci convenit, tum eas profecto maxime, quæ conſtituuntur ad populi fructum aliquem & commodum.* Sed, quod probe notandum, ex hoc quidem loco recte probari poteſt, perſonas illas, per quas deductio coloniarum fiebat, ab univerſo populo eligi debuiſſe: (id quod ſemper quoque obſervatum fuit) minime vero ex illo patet, ad ipſam coloniarum deductionem populi quoque auctoritatem fuiſſe neceſſariam. Neque etiam quæritur, potueritne populus per legem coloniarum deductionem decernere? De ea enim re nemo dubitare poteſt, niſi qui forſan de ipſa ſumma populi Romani poteſtate dubitat. Sed id in quæſtione tantum eſt, num ſolus quoque ſenatus, ſine populi conſenſu, coloniarum deductionem decernere potuerit? Fatendum eſt, antiquiſſimis liberæ reipublicæ temporibus plerumque in coloniarum deductionibus ſolius Senatusconſulti fieri mentionem: mediis vero, vel infimis liberæ reipublicæ temporibus interdum ſolius Senatusconſulti, interdum ſolius legis, vel plebiſciti injici mentionem a ſcriptoribus vetuſtis. Exinde ergo

Goeſius colligit, poſt Reges expulſos primitus ſenatus fuiſſe de coloniis deducendis decernere, abſque ulla aut populi, aut plebis voluntate, aut conſenſu; poſtea vero & ſenatus & plebis voluntatem concurriſſe in conſtituenda deducendave colonia; immo interdum quoque, nullà exſpectata ſenatus auctoritate, de agris ad populum latum fuiſſe. Mihi hæc tamen ſententia non ſatis firmis a viro iſto docto rationibus probata fuiſſe videtur. Solum enim a ſilentio argumentum ſemper eſt intutum ac infirmum, id quod in tota antiquitate Romana probe eſt obſervandum. Sæpe enim veteres ſcriptores in negotio aliquo de ſola ſenatus auctoritate loquuntur, & id tamen ita eſt intelligendum, populi quoque juſſum acceſſiſſe: ſæpe etiam de ſolo populi juſſu narrationem inſtituunt, ut propterea tamen non excludunt ſenatus auctoritatem: id quod plerumque ex ipſa reipublicæ Romanæ conſtitutione debet dijudicari: interdum quoque ex diverſorum ſcriptorum collatione aperte deprehendi poteſt, quod artificium in hoc etiam negotio adhibuit Goeſius, dum ex collatione LIVII & VELLEJI concludit, utriuſque & ſenatus & plebis auctoritatem interceſſiſſe in coloniis deducendis. Sed exinde pariter vir ille laudatus colligere debuiſſet, quando primis liberæ reipublicæ temporibus ſolius Senatusconſulti mentio fit, propterea non excludi populi juſſum: nam & ſubſequentibus temporibus ſæpe Senatus tantum auctoritas commemoratur, & ipſemet tamen Goeſius fatetur, tunc plebiſcitum accedere debuiſſe. Sic ex collatione LIVII & VELLEJI animadvertere quoque debuiſſet, quando ſolius plebiſciti mentio fit, id non ſemper ita eſſe intelligendum, ac

ſi

ſi colonia contra ſenatus voluntatem fuerit deducta. Niſi ergo quis ex veteribus ſcriptoribus oſtendere poſſit, jura hac in re pro diverſis temporibus variaſſe, & interdum ſuffeciſſe Senatusconſultum, interdum quoque populi plebiſve ſcitum neceſſarium fuiſſe: ancipites ſane hac in re hærere debemus. Quum vero hoc vix oſtendi poſſit, & utile tamen interim ſit, ut certius aliquid ſtatuatur, optimum erit, ut rem ex ipſa reipublicæ Romanæ forma dijudicemus. Ego ſane quoties populi & ſenatus poteſtatem paullo exactius conſidero, toties in eam incido opinionem, ſolam ſenatus auctoritatem non ſuffeciſſe, ne primis quidem liberæ reipublicæ temporibus, ad coloniam aliquam conſtituendam & deducendam. Nam 1) de ipſis agris publicis, in quas colonia erat deducenda, non libere ſolus ſenatus poterat conſtituere: 2) non ſufficiebat ſenatus auctoritas ad jura coloniæ conſtituenda: 3) non potuiſſet ſenatus invitos quoque cogere cives, (id quod aliquando fiebat) ut in coloniam migrarent. Quoties ergo per Senatusconſultum colonia deducta commemoratur apud veteres, toties id ita erit intelligendum, legem quoque, aut plebiſcitum ſaltem, vel præceſſiſſe, vel acceſſiſſe. Perinde enim fuiſſe videtur, ſive populus liberam ſenatui poteſtatem faceret de publicis agris & coloniis deducendis ſtatuere, ſive Senatusconſultum hac de re factum per legem poſtea vel plebiſcitum confirmaretur. Ut plurimum tamen rem eo ordine actam fuiſſe, ut præcederet Senatusconſultum de colonia deducenda, ſubſequeretur vero lex, vel plebiſcitum, facile largior Goeſio, dummodo ille viciſſim concedat, rem inverſo etiam ordine peragi potuiſſe. Nimis vero

anguſte loquitur Goeſius, quando ſolius plebiſciciti, & tribunorum plebis mentionem facit; nemo enim dubitare poteſt, quin colonia per legem etiam proprie ſic dictam, & a majori magiſtratu latam, conſtitui ac decerni potuerit. Et primis quidem liberæ reipublicæ temporibus, antequam plebiſcita invaleſcerent, ſemper legem hac de re latam fuiſſe, facile eſt ad intelligendum. Immo antequam plebiſcita legum vim acceperint, nunquam ſuffeciſſe plebiſcitum exiſtimo. Hinc primis quidem iſtis temporibus ſæpe a Senatu poſtularunt Tribuni plebis, ut de agris dividendis coloniisque deducendis decerneret, & legem hac de re fieri pateretur: nuſquam vero legimus, ipſos Tribunos de coloniis deducendis ad plebem tuliſſe, niſi poſt tempora Decemvirorum, ubi jam plebiſcita per legem primum Horatiam majorem acceperunt auctoritatem. Quum ergo nulla lex proprie ſic dicta ſine ſenatus auctoritate ferri poſſet, facile intelligitur, nullam quoque coloniam per ſolam ſine ſenatus auctoritate legem deduci potuiſſe. Quum vero plebiſcita per legem ſaltem Hortenſiam plenariam legum vim acceperint; eaque & ſine ſenatus auctoritate ferri potuerint: quæritur jam, an coloniam per ſolum plebiſcitum, nullo præcedente Senatusconſulto, deduci potuiſſe cenſendum ſit? Negari nequit, hoc interdum fuiſſe factum. Et licet antea monuerim, non ſemper, quando in vetuſtis monumentis ſolius plebiſciti mentio fit, id ita eſſe accipiendum, ac ſi iſtud contra ſenatus voluntatem factum fuerit, quum ſæpius ſcriptores ita potius ſint intelligendi, ac ſi ſenatus quoque conſultum præceſſiſſe dicerent: propterea tamen negare nolo, interdum & ſine ſenatus auctoritate, im-

immo repugnante ſenatu, colonias per plebiſcitum deductas fuiſſe: cujus rei exempla quoque nonnulla hoc loco attulit Goeſius, inquibus quædam ſunt coloniæ, quæ omnino contra ſenatus voluntatem ſunt deductæ, ut veteres expreſſis verbis teſtantur. Niſi quis ſtatuere malit, ſenatum invitum coactum fuiſſe, ut in hiſce etiam auctoritatem ſuam accommodaret, id quod interdum in aliis rebus factum fuiſſe legimus. Quamvis vero hoc ſine diſerto aliquo teſtimonio aſſerere non audeo: id tamen in veterum lectione obſervavi, ſenatum hoc ſemper tanquam juris ſui deminutionem conſideraſſe, & ægre admodum tuliſſe, ſi contra ampliſſimi ordinis voluntatem coloniæ deducerentur. Nemo quoque hoc unquam, niſi turbulentus aliquis magiſtratus, qui totam turbare rempublicam cupiebat, facere tentavit. Præterea id etiam notandum eſt, in exemplis, quæ hanc in rem afferuntur, quædam eſſe, quæ de diviſione tantum agrorum, non de colonia proprie ſic dicta loquuntur. Diviſionem vero & aſſignationem agrorum facilius per ſolum plebiſcitum, quam coloniæ deductionem peragi potuiſſe, haud difficulter intelligitur. Ordinarius 16.
ergo coloniæ proprie ſic dictæ deducendæ modus erat: 1) ut per ſenatum deductio decerneretur: 2) ut lex agraria, vel ſaltem plebiſcitum, ex ſenatus auctoritate, ad populum plebemve ferretur: in qua lege & ager aſſignandus, & leges coloniæ deducendæ omnes determinari debebant, nec non per quos deductio fieri deberet. 3) Tunc rurſus per ſenatum decernebatur, ut ductores coloniæ per populum eligerentur. 4) Ex hoc ſenatusconſulto per populum plebemve creabantur, qui coloniam deducere debebant. 5) Hiſce electis

rurſus ſenatusconſultum fieri debebat, ut ductores lege curiata ornarentur. 6) Ex hoc ſenatus conſulto lex curiata ferebatur. 7) Denique & cætera, quæ partim ad ornamenta, tum coloniæ, tum ductorum, partim ad ſumtus ex ærario impendendos pertinebant, a ſenatu decernebantur. Tantæ molis erat coloniam aliquam Romanam recte atque ordine condere. Hiſce enim demum omnibus rite obſervatis, ipſa fiebat coloniæ deductio ab illis, qui ad hoc negotium a populo erant electi, quique a numero vocabantur Triumviri, Quinqueviri, Vigintiviri, &c. ut ex vetuſtis monumentis eſt notiſſimum. [Conf. *Goeſii Antiqq. rei Agrariæ*, *cap.* 4. qui ibi accurate ſatis agit, tum de ductorum poteſtate, tum de eorum adminiſtris, quibus unicam tantum obiter obſervatiunculam addere volo. Nimirum Goeſium cum *Antonio Auguſtino* apud CICERONEM *de lege Agrar. lib.* II. *cap.* 13. pro *janitores* fruſtra reponere *finitores*, plane contra Ciceronis mentem exiſtimo. Licet enim non negem ductores coloniæ finitores ſecum habuiſſe, tamen hi non erant ex ordine equeſtri, ſed meri artifices. Cicero vero hoc loco commemorat, Decemviris illis, & honoris, & ſecuritatis cauſa, in lege Rulli attribui ducentos ex ordine equeſtri, hoſque, ut invidiam eorum augeret, vocat eorum janitores, ſtipatores corporis, miniſtros & ſatellites poteſtatis. Unde etiam præter mentem Ciceronis B. *Joh. Gottl. Heineccius* in *Syntagmate Antiqq. App.* ad *lib.* I. §. 125. inter ordinarium ductorum coloniæ ornatum ponit janitores & ſtipatores corporis: quemadmodum etiam idem non recte huc affert decuriones, augures, pontifices: illi enim non ad ornatum ductorum perti-

tinebant, ſed poſtea in ipſa nova colonia conſtituebantur. Melius hic poſuiſſet pullarios, quos cum auguribus forſan confundit. Sed hæc obiter.]

Et hæc quidem ſolennia ut plurimum in coloniis deducendis ſunt obſervata ad Syllæ uſque dominationem. Huic enim inter cætera ea quoque per legem data fuit poteſtas, ut pro lubitu quascunque deduceret colonias, teſte Plutarcho in *ejus vita*, *pag.* 473. Tunc ergo nova coloniarum deducendarum ratio fuit introducta, ut ſcilicet coloniæ deducerentur ſolo Imperatoris alicujus, cui ea per generalem legem data fuerat poteſtas, auſpicio, imperio atque arbitrio. Et hujuſmodi quidem coloniæ, ab Imperatore, tali poteſtate inſtructo, deductæ, vocabantur Militares. Hactenus igitur jam primam coloniarum militarium & cæterarum differentiam, ratione ſcilicet perſonarum, quarum auctoritate, & per quas deductio fieret. Nimirum 1) togatæ Coloniæ, ut vidimus, immediate ex ſenatus populique auctoritate juſſuque deducebantur: militares ſolius Imperatoris auctoritate immediate deducebantur, licet iſte poteſtatem illam a populo acceperit. 2) Togatæ coloniæ per Triumviros, Quinqueviros aliosve, ad hoc negotium ſpecialiter a populo electos, ſenatusconſulto quoque & lege curiata ornatos, deducebantur: militares vero ab ipſo deducebantur Imperatore, qui pro lubitu etiam in agris aſſignandis adminiſtros aſſumere poterat, quot & quales vellet. 3) In togatis coloniis omnia ex lege & Senatusconſulto ornamenta veniebant: in militaribus omnia ab arbitrio Imperatoris dependebant. 4) Hinc togatæ coloniæ nullum novum accipiebant nomen, ſed vetus loci nomen ut plurimum relinquebatur: 17.

 mi-

militares vero coloniæ ab Imperatore novum quoque cognomen aſſumere ſolebant, idque vel a nomine gentilitio, vel a cognomine aliquo iſtius Imperatoris, v. g. coloniæ Felices, Juliæ, Auguſtæ, &c. Unde eleganter V. *Cl. Alexius Symmachus Mazochius* in *Commentario ad Campani Amphitheatri Titulum*, *cap.* 1. (*pag.* 511. *Tom.* V. *Supplementi Theſauri utriuſque Antiqq.* a *Col. Joh. Poleno* procurati) dicit, in coloniis denominandis eandem fere ac in libertis rationem fuiſſe obſervatam, quoniam Imperator tanquam patronus coloniæ illius conſiderabatur. Et ex hocce quoque ritu ſine dubio explicanda ſunt verba Velleji Paterculi *lib.* II. *cap.* 14. *Nam militarium & cauſæ, & auctores, & ipſarum præfulgent nomina.* Quæ enim Goeſius ad ea illuſtranda affert, ea mihi nimis remota eſſe videntur. Eſt tamen id inprimis adhuc notandum, tempore liberæ reipublicæ neque ullum magiſtratum, (ne Dictatore quidem excepto, ut putaſſe videtur *Goeſius cap.* 4) neque ullum Imperatorem, quantacunque poteſtate inſtructum, propria ſua auctoritate & coloniam deducere potuiſſe proprie ſic dictam, niſi illud ei per legem nominatim fuiſſet conceſſum. De Sylla id jam vidimus. Pompejum per legem hanc accepiſſe poteſtatem, nuſquam quidem legimus: ſed nec ego uſquam legi, eum in provinciis pro lubitu colonias condidiſſe, ut putaſſe videtur Goeſius: quæ enim hac de re apud veteres leguntur, pertinent tantum partim ad aſſignationem & largitionem quorundam agrorum, partim ad id, quod urbes quoſdam in provinciis deſertas inſtauraverit, &, ut incolis frequentarentur, effecerit: ex quo tamen eum colonias proprie ſic dictas deduxiſſe, tuto

col-

colligi nequit. Pompejum tamen varia egiſſe, quæ communem Imperatorum poteſtatem transgredi videbantur, ideoque maxime eum laboraſſe, ut acta ſua per ſenatum populumque confirmarentur, negare neutiquam volo. Non vero cum Goeſio exiſtimo, Ciceronem Pompejo ſuo ſervire voluiſſe, eique majorem, quam par erat, poteſtatem adſcripſiſſe, dum *Orat.* II. *de lege agrar. cap.* 19. dicit: *eos agros, quorum adhuc* (id eſt durante, necdum finito bello) *penes Cn. Pompejum omne judicium & poteſtas more majorum debet eſſe, decemviri vendent?* Hiſce enim verbis, ut ex connexione apparet, nihil aliud indicare voluit Cicero, quam durante adhuc bello neminem, ſine inſigni Imperatoris injuria, poſſe ſibi arbitrium arrogare, inconſulto ipſo Imperatore, de illis diſponendi agris, quos iſte hoſtibus eripuerat. More enim majorum finito demum bello, Imperator ad ſenatum de rebus ſuis geſtis, & imprimis de agris quoque hoſtibus ereptis, referre ſolebat: ſenatus vero decem plerumque mittere ſolebat legatos, qui cum ipſo Imperatore de omnibus rebus ſtatuerent, quodque ab hiſce communi conſenſu erat ſtatutum, id per ſenatum demum populumque confirmabatur. Nullo itaque modo Cicero aliis contradicit ſcriptoribus, nullo etiam modo majorem Imperatoribus, quam par erat, adſcribit poteſtatem. Sed hæc obiter: jam ad rem, qua de agitur, redeo. Cæſar rerum potitus ſine dubio quoque, ut in cæteris, Syllæ exemplo, eam per legem aliquam accepit poteſtatem, ut colonias, quaſcunque vellet, deduceret. Principes deinceps ab Auguſto uſque ſine dubio vi legis regiæ colonias etiam pro arbitrio ſuo, propriaque auctoritate, quas volebant, de-

duxerunt. Neque tamen propterea negare volo, eos ſenatum interdum quoque hac de re conſuluiſſe: id tantum affirmo, illud non poſſe probari ex nummis illis, ut putat Goeſius, quibus coloniis deductis adſcripta ſit nota SC. Dubitari enim merito poteſt, utrum hac nota indicetur, ipſam ex Senatusconſulto coloniam fuiſſe deductam, an vero nummum tantum Senatusconſulto in rei memoriam fuiſſe percuſſum. Sed hoc aliis dijudicandum relinquo: jam enim ſatis ſuperque de primo dictum fuit momento, quorum ſcilicet auctoritate coloniæ fuerint deductæ.

18. Jam porro videbimus, quænam hominum genera in colonias deduci conſueverint. Varia hominum genera in colonias deduci potuiſſe, facile eſt ad intelligendum: ſed ne præter neceſſitatem prolixi ſimus, ſecundum ſcopum noſtrum dicimus tantum, omnes homines, qui in colonias deduci ſolebant, fuiſſe vel milites, vel non milites, qui in jure Romano pagani vocantur. Exinde enim novum oritur fundamentum diviſionis coloniarum in militares & togatas. Nam in colonias militares ſoli milites emeriti, ſive veterani, in præmium navatæ in bello reipublicæ operæ, deducebantur: in togatas vero colonias pagani, inopes plerumque ex plebe homines, deducebantur. Ratione ergo hominum, ex quibus coloniæ conſtabant, militares erant, in quas milites; togatæ, in quas pagani fuerunt deducti. Ita *Sigonius*, aliique eum ſecuti. Sed hos omnes falli exiſtimat *Goeſius*, ob eam quidem rationem, quia coloniæ, quæ proprie militares vocabantur, a Sylla primum deductæ fuerunt; milites vero emeriti jam diu ante Syllæ tempora in colonias deduci conſueverunt, idque etiam Senatus-

natuſconſulto, quum Vellejus tamen Paterculus colonias Senatusconſulto deductas a militaribus ſeparet. Ita Goeſius contra Sigonium argumentatur. Sed hæc quidem lis ſine magno pulveris jactu facile componi poterit. Tota enim Goeſii objectio ſua ſponte corruet, ſi accuratius explicemus, quinam per milites hoc loco intelligantur. Nimirum, quando dicitur, in colonias militares milites fuiſſe deductos, id non eſt intelligendum de iis, qui aliquando milites fuerunt, quique olim reipublicæ in bello operam navarunt, jam vero ſacramento militari ſoluti ſunt, & hinc merito jam in paganorum numero reputantur. Tales enim emeriti & veterani, in præmium navatæ olim in bello operæ, ſæpenumero tempore liberæ reipublicæ, & diu ante ſeculum Syllanum, agros acceperunt, & in colonias deducti ſunt. Exempla, quæ Goeſius affert, ſpectant magis ad agros aſſignatos, quam ad colonias proprie ſic dictas: quod enim ex Valerio Maximo adducit, colonias veteranorum C. Marium Patronum legiſſe ante Syllæ tempora, in eo vehementer fallitur: nuſquam enim Valerius Maximus de C. Mario hoc narravit: ſed *lib.* IX. *cap.* 15. *ex.* 2. illud refert de Herophilo, qui ſe Marii nepotem falſo venditabat, idque jam Cæſare rerum potito. Nuſquam enim veteranorum colonias ante Syllæ tempora occurere exiſtimo. Et ſi verum fatendum eſt, tempore liberæ reipublicæ magis in uſu fuit, ut militibus emeritis agri aſſignarentur, quam ut in colonias deducerentur: & quando in colonias deduci ſolebant, tunc aliis plerumque, qui non fuerunt milites, ex plebe admiſcebantur. Rara admodum ſunt exempla coloniarum ante Syllæ tempora, quæ ex ſolis illis,

lis, qui milites fuerunt, conſtabant. Poteſt fortaſſis pro exemplis haberi Bononia, de qua refert LIVIUS *lib.* XXXVII. *cap.* 57. *Tria millia hominum ſunt deducta, equitibus ſeptuagena jugera, cæteris colonis quinquagena ſunt data:* dummodo certum eſſet, ſub cæteris ſolos pedites eſſe intelligendos, & non alios etiam, qui nunquam milites fuerunt. Sunt etiam, qui putant, VELLEJUM PATERCULUM *lib.* I. *cap.* 15. his verbis: *quum eſſet in bello conquirendus potius miles, quam dimittendus*: ſignificare voluiſſe, milites in colonias fuiſſe deductos. Sed ego hunc locum ita interpretandum eſſe cenſeo: quum durante bello homines potius ad militiam idonei eſſent milites legendi, quam ad agriculturam in colonias deducendi. Quicquid vero hujus ſit, id certum eſſe puto, nunquam ante Syllæ dominationem milites, tanquam milites, ſive veteranos, in colonias fuiſſe deductos: ſed quando emeriti in colonias deducebantur, tunc non aliter quam togati, ſive ex plebe homines conſiderabantur. Tales vero coloniam proprie ſic dictam militarem efficere non poterant. Quando ergo coloniæ militares vocantur, in quas milites deducti ſunt, intelligendum hoc eſt: 1) de ſolis, nullis aliis admixtis, militibus: 2) de iis, qui revera adhuc ſunt milites: & 3) de iis, qui tanquam milites quoque in colonias deducebantur. Et quia plerumque non niſi veterani, id eſt ii, qui juſtum ſtipendiorum numerum adimplerunt, in colonias deducti ſunt, coloniæ illæ militares veteranorum etiam coloniæ vocari ſolebant. Ex hiſce ergo jam ſatis apparebit differentia inter colonias togatas & militares, ratione hominum, qui in eos deducti ſunt. Addam tantum, qui hæc confirmat,

mat, locum Hygini *de limitibus conſtituendis*, *pag.* 159. *ed. Goeſii. Finitis ergo*, inquit, *ampliorum bellorum operibus*, *augendæ reipublicæ cauſa*, *illuſtres Romanorum viri urbes conſtituerunt*, *quas aut victoribus populi Romani civibus*, (hi ſunt illi, qui olim milites fuerunt, unde neceſſe non eſt, ut cum Goeſio emendemus: *victoris*) *aut emeritis militibus* (hi ſunt, qui tanquam milites deducuntur) *aſſignarunt*, *& ab agrorum novæ dedicatione culturæ appellaverunt.*

III. Tandem videbimus etiam differentiam inter duo hæcce coloniarum genera ratione modi deducendi. Nimis longe a ſcopo meo aberrarem, ſi omnia hic exequi vellem, quæ ad modum coloniarum deducendarum pertinent, quum præſertim pleraque jam ab aliis ſint occupata & abunde expoſita. (Legi imprimis meretur *Marcus Velſerus Rerum Auguſto-Vindelic. lib.* V. initio.) Sed quum alii ritus ſint communes, qui in omni coloniarum deductione obſervabantur; alii proprii, vel togatis, vel militaribus coloniis: ego, prioribus prætermiſſis, hoc loco tantum explicabo, quomodo hæc duo coloniarum genera differant quoad ſpeciem externam, ſive quoad ritus diverſos, qui in deductione earum obſervari ſolebant, id quod ab aliis nondum accurate explicatum fuiſſe deprehendi. Nimirum omnes quidem coloniæ ſpeciem quandam præbebant exercitus, & hinc a ducibus ſuis ſub vexillo in locum aſſignatum deducebantur, ut etiam obſervavit *Goeſius* in *Antiqq. agrar. cap.* 2. *pag.* 9. Sed quemadmodum apud Romanos multum inter ſe differebant exercitus urbanus, qui ſub vexillo ex urbe in campum Martium vel ad comitia, vel ad luſtrum ducebatur, & exercitus militaris, (qui, teſte Festo, olim 19.

claſ-

claſſis procincta dicebatur) qui armis & ſignis militaribus inſtructus in hoſtem ducebatur: ita, quoad ſpeciem etiam externam, multum inter ſe differebant colonia togata & militaris: prior enim exercitus urbani; poſterior exercitus militaris ſpeciem referebat. Ex haece igitur comparatione jam optime differentiam inter utraque coloniarum genera eruere poſſumus. Nimirum 1) quemadmodum exercitus urbanus habitu pacato, ſive togatus incedebat; exercitus vero militaris habitu militari, ſive ſagatus: ita etiam illi, qui in coloniam togatam deducebantur, togati; qui in militarem, ſagati conſpiciebantur. 2) Quemadmodum exercitus urbanus non erat armatus; (exceptis paucis iſtis, qui præſidii tantum cauſa in Janiculo collocabantur) exercitus vero militaris armis erat inſtructus: ita etiam colonia togata ſine armis; (niſi quod ſecuritatis forſan cauſa pauci circa ductores armati fuiſſe videantur) colonia vero militaris non niſi cum armis incedebat. 3) Quemadmodum exercitus urbanus ſub ſolo vexillo, ſine aliis ſignis militaribus, educebatur; exercitus vero militaris non ſine omnibus ſignis militaribus incedebat: ita etiam colonia togata ſub ſolo vexillo deducebatur; colonia vero militaris præter vexillum omnia etiam alia ſigna militaria in deductione ſecum habebat. 4) Quemadmodum exercitus urbanus non erat diviſus in legiones, turmas, manipulos, cohortes, ſed hæc diviſio ad militarem tantum exercitum pertinebat: ita quoque non togata; ſed militaris tantum colonia juxta modum veri exercitus in ſuos dividebatur ordines. 5) Quemadmodum exercitus urbanus regebatur tantum ab eo, qui comitiis, vel luſtro præerat; militaris vero præter Imperatorem & tribunos, & centuriones, & præfectos habebat: ita

ita & colonia togata a ſolis regebatur ductoribus; militaris vero præter Imperatorem habebat quoque ad formam juſti exercitus tribunos, præfectos & centuriones ſuos. Ut omnia denique uno comprehendam verbo, togatæ coloniæ habitu civili; militares vero habitu militari deducebantur: id quod optime diſcere poſſumus ex duobus veterum locis, qui, licet ab aliis jam adducti ſint, tamen & hic legi merentur. Prior eſt Hygini *de limitibus conſtituendis*, *pag.* 160. *ed. Goeſii: Multis legionibus contigit bellum feliciter tranſigere, & ad laborioſam agriculturæ requiem primo tyrocinii gradu pervenire. Nam cum ſignis, & aquila, & primis ordinibus ac tribunis deducebantur.* Poſterior eſt Taciti *Annal.* XIV. *cap.* 27. (qui ſimul indicat ſub Neronis jam imperio non tam exacte omnes hoſce, ut in cæteris rebus, ritus fuiſſe obſervatos) *Non enim*, inquit, *ut olim, univerſæ legiones deducebantur cum Tribunis, & Centurionibus, & ſui cujuſque ordinis militibus, ut conſenſu & caritate rempublicam efficerent: ſed ignoti inter ſe, diverſis manipulis, ſine rectore, ſine adfectibus mutuis, quaſi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis, quam colonia.* Hoc etiam modo intelligenda erunt verba doctiſſimi *Goeſii*, quando in *Antiqq. agrar. pag.* 21. dicit*: Nam militares honeſtiori vocabulo ſic dictas a* Paterculo *crediderim, quas non lege, ſed militari manu condidere Sylla* &c. Et *pag.* 23. *Ut multo veroſimilius ſit, quod dixi, militares eſſe, quæ jure militari, id eſt vi & armis ſunt deductæ.* Niſi enim hoc explicentur modo, nullum plane, vel falſum ſenſum continent: id quod monere debui, ne aliis errandi, aut ultra modum carpendi virum doctum occaſionem præbeant. Lubet quoque hoc loco 20.

quæ-

quærere, num ſolida ſit obſervatio *Raphaelis Fabretti* in libro *de Columna Trajani*, *pag.* 10. *ſeqq.* (quam alii quoque amplexi ſunt) Colonias ſcilicet plebejas aratro; militares vero ſigno militari fuiſſe deſignatas in nummis: ſi vero utrumque, & aratrum, & ſignum militare, in nummis occurrat, tunc illud indicium eſſe, primam deductionem e Civibus, ſupplementum e veteranis militibus fuiſſe. Enimvero, quum omnes coloniæ cujuſcunque ſortis & conditionis, per aratri circumſcriptionem conditæ fuerint, (ut primo capite ex Varrone docui) facile apparet, aratrum, & boves quoque, cum viro ritu Gabino cincto, commune omnium coloniarum fuiſſe ſignum, ut adeo ex illlo de forma & jure coloniæ nihil certi prorſus concludi poſſit: id unicum certum eſſe arbitror, ut ex præcedentibus apparet, per ſigna militaria non niſi colonias militares deſignari in nummis potuiſſe: cætera omnia ſymbola communia fuiſſe exiſtimo. Sic etiam ex ſolo vexillo nihil certi de forma coloniæ judicari poſſe, facile ex antecedentibus colligitur, niſi vexillum in nummis ſignis militaribus junctum ſit: tunc enim ſine omni dubio militaris colonia indicatur. Conſpicitur quoque in quibuſdam nummis vexillum veluti in ara poſitum, ex quo concludit celebris ille Numiſmaticus, *Joh. Foy-Vaillant* in Opere *de nummis Coloniarum & Municipiorum*, vexillum poſt coloniæ deductionem revera in ara poſitum fuiſſe: id quod paſſim repetit V. *Cel. Sigebertus Haverkamp* in *Theſauro Morelliano.* Sed ex nummorum quidem inſpectione non certo ſatis dijudicari poſſe arbitror, utrum vexillum illud in ipſa ara, an pone aram poſitum fuerit. Mihi ergo probabilius ſit, in coloniæ deductione primo omnium

nium aram, ceſpititiam ſine dubio, ſtatim fuiſſe exſtructam, in qua & ante deſignationem illam, quæ aratro peragebatur, ſacrificium luſtrale fieret; (Suovetaurile fortaſſis) poſt deſignationem vero illam, bos & vacca, quibus aratri circumſcriptio facta erat, immolarentur: juxta vel pone aram autem iſtam vexillum hocce poſitum fuiſſe. Hæc tamen omnia in re nummaria peritioribus dijudicanda relinquo. Sic etiam obiter tantum indicare volo, Equeſtres & Claſſicas colonias, quæ in vetuſtis paſſim monumentis occurrunt, mea opinione fuiſſe ſpecies militarium coloniarum: in priores enim ſolos equites; in poſteriores vero milites tantum claſſiarios fuiſſe deductos exiſtimo. Sed hæc aliaque, volente Deo, in ipſo, quod meditor, Antiquitatum Romanarum ſyſtemate aliquando uberius explicabuntur. Nunc mihi accuratius, quam hactenus factum fuit, oſtendiſſe ſufficit, quænam proprie togatæ, & quænam proprie militares coloniæ fuerint, & quænam horum eſſet differentia.

Antequam tamen ad alia pergo, pauca adhuc 21.
dubia, quæ ex Vellejo Paterculo oriri poſſent, removenda ſunt. Primo enim quæritur, num Vellejus ille *lib.* I. *cap.* 14. recte diviſerit colonias in militares, & eas, quæ juſſu ſenatus deductæ ſunt. Reſpondet *Goeſius*, non eſſe perfectam eam diviſionem, quia etiam coloniæ ſunt, quæ neque militares, neque juſſu ſenatus, ſed ſolo plebiſcito deductæ fuerunt. Tales utique colonias fuiſſe, ſupra faſſi ſumus: aſt poſſunt tamen varia pro excuſando Vellejo afferri. Dici enim poteſt, Vellejum noluiſſe accuratam coloniarum diviſionem hoc loco inſtituere: ſed voluiſſe eas tantum enarrare colonias, quæ juſſu ſenatus ſunt

deductæ: in ſequentibus vero verbis eum tantum indicaſſe, cur militares prætereat, quia nempe per ſe omnibus eſſent notæ. Non vero negat propterea Vellejus, fuiſſe etiam colonias, quæ ad neutram proprie ſpeciem pertinerent; eas tamen forſan ne nominare quidem voluit, quia non pro juſtis habuit coloniis. Hæc quidem reſponſio ſatis eſſet apta, ſi modo de omnibus, quas enarrat Vellejus, coloniis conſtaret, eas juſſu, vel conſenſu ſaltem ſenatus fuiſſe deductas. Sed ſunt utique inter illas quædam, de quibus jure dubitari poteſt, num volente, an potius repugnante ſenatu fuerint deductæ: v. g. de Tarento & Carthagine, quæ a C. Gracho, invito ſenatu, teſte Plutarcho in *ejus vita*, ſunt deductæ. Sed & ſic reſponderi poteſt, vel Paterculum reſpexiſſe tantum ad id, quod ordinarie & plerumque fieri conſuevit: ordinarium vero modum fuiſſe, ut coloniæ non ſine ſenatus auctoritate decernerentur. Vel dici etiam poteſt ſenatum in iis etiam coloniis, quibus initio contradicebat, victum tantum conſenſiſſe, aut coactum fuiſſe, ut auctoritatem ſuam accommodaret, ſi non ad ipſam de colonia deducenda legem, aſt ad legem ſaltem curiatam, qua ductores ornabantur. Lex enim curiata ductoribus omnino neceſſaria fuiſſe videtur, ob auſpicia præſertim, quia nulla omnino colonia, niſi auſpicato, condi poterat: nulla vero lex curiata ſine patrum auctoritate ferri poterat. Talem etiam legem de Gracho, quum coloniam Carthaginem deduceret, latam fuiſſe, ex ipſo Plutarcho colligi poſſe videtur, non tantum dum de novæ coloniæ auſpiciis, ſed etiam dum de ſumtibus a ſenatu Gracho decretis narrat: ſumtus enim a ſenatu non niſi iis, qui jam lege cu-

curiata ornati erant, decernebantur, ut vel tyronibus notum eſſe debet. Et hactenus quidem recte ſtatui poſſe puto, nullam prorſus coloniam ſine Senatusconſulto fuiſſe conditam, niſi militarem: nam Imperatori quidem, jam lege curiata auſpiciiſque inſtructo, nulla nova lex curiata opus erat: ſed ſufficiebat, ſi per plebiſcitum facultas illi daretur, ut coloniam deduceret. Sic facile quoque, ſine ulla ſenatus auctoritate, per ſolum plebiſcitum, agrorum diviſio & aſſignatio, ſine coloniæ proprie ſic dictæ deductione, decerni poterat: id quod probe obſervandum, ne ſtatim, quando legitur, agros invito ſenatu a Tribunis diviſos aſſignatoſque fuiſſe, exinde concludatur, novam quoque coloniam invito ſenatu fuiſſe deductam. Quocunque vero modo Vellejus intelligatur, ab errore tamen facile poterit excuſari. Alterum dubium movet *Goeſius* ex verbis ejuſdem VELLEJI *lib.* I. *cap.* 15. *in fine: Neque facile memoriæ mandaverim, quæ, niſi militaris, poſt hoc tempus* (poſt Eporediam ſcilicet Mario ſexies & Valerio Flacco Coſſ. A. U. C. 654. conditam) *deducta ſit.* Ex hiſce enim verbis concludi poſſe putat Goeſius, ex mente Velleji omnes fuiſſe militares colonias, non tantum eas, quæ poſt Eporediam ſunt deductæ, ſed & omnes illæ, quæ antea quidem ſunt conditæ, a Vellejo vero non recenſentur. Sed hoc aperte eſſe contra Velleji mentem, vel mediocriter attento apparet. Sententia enim hujus loci manifeſta eſt, poſt Eporediam nullam niſi militarem coloniam fuiſſe deductam. Sine dubio enim Vellejus in ea quoque fuit opinione, militares colonias originem demum a Sylla accepiſſe: id quod omnino quoque verum eſt, ſi de proprie ſic dictis militaribus coloniis

accipiatur. Nam quod quidam objiciunt, antea etiam milites in colonias fuiſſe deductos, id ſupra abunde refutavi, oſtendique, non exinde, quod ii, qui in militia olim reipublicæ operam navarunt, in colonias ſint deducti, concludendum eſſe, colonias quoque militares proprie ſic dictas ante Syllæ dominationem fuiſſe conditas. Nihil ergo contra Vellejum valet, quod Goeſius oſtendat, ante Eporediam conditam alias quoque colonias ex Senatusconſulto fuiſſe deductas: exinde enim id non ſequitur, quod ille vult, eos ex mente Velleji eſſe militares: ſed id tantum exinde apparet, Vellejum non ſatis in recenſendis coloniis fuiſſe diligentem, id quod facile concedimus. Aſt illud tamen fatendum eſt, ex mente hujus hiſtorici omnes poſt Eporediam deductas colonias fuiſſe militares: id quod quidem ipſum non extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe videtur.

22. Nullum vero, quantum ſcio, inter Syllæ & Cæſaris dictaturam perpetuam coloniæ deductæ adeſt exemplum, (non loquor de ſolis agrorum aſſignationibus, nec de irritis quorundam conatibus: ſed de coloniis proprie ſic dictis, & quæ revera ſunt deductæ) excepta Capua, quam Cæſar in primo conſulatu deduxit: hanc autem non fuiſſe militarem noviſſime probare voluit V. *Cl. Alexius Symmachus Mazochius* in *Commentario* ad *Campani Amphitheatri Titulum*, *pag.* 534. *tom.* V. *Theſ. Polen.* Et ſane, ſi verum fatendum eſt, non apparent in Capua colonia notæ militaris coloniæ, quas ſupra poſui: nam 1) non eſt ab Imperatore deducta, ſed a Cæſare Conſule, & agri a vigintiviris ſunt aſſignati: 2) non milites, ſed ex plebe cives in eam ſunt deducti, ut ex SUETONIO in *vita Cæſ. cap.* 20. & ex ipſo

VEL-

VELLEJO *lib.* II. *cap.* 44. apparet: 3) & hinc ne forma quidem militari deducta fuiſſe videtur. Aſt tota tamen re paullo exactius conſiderata, Capua quoque inter militares quodammodo colonias referri poſſe videtur, ſi non inter proprie ſic dictas, ſaltem inter mixtas. Nam 1) probabile mihi fit, non vigintiviros coloniam ipſam deduxiſſe, ſed agros tantum diviſiſſe & aſſignaſſe: nuſquam enim legi hoſce vocari vigintiviros coloniæ deducendæ, ſed ſæpiſſime vocantur vigintiviri agris dividendis & aſſignandis. 2. Dubium quoque adhuc eſt, an hi vigintiviri a populo ſint electi, an a ſolo Cæſare creati, ex poteſtate per legem agrariam accepta. 3) Porro probabile eſt, ipſum Cæſarem coloniam illam deduxiſſe, unde etiam Colonia Julia vocata fuit, id quod jam ipſe obſervavit laudatus *Mazocbius l. c. pag.* 511. 4) Quum vero Conſulis non eſſet Coloniam deducere, eam fortaſſis tanquam Imperator deduxit Cæſar. 5) Hinc veroſimile fit, ipſam Coloniam non immediate per legem fuiſſe deductam, ſed Cæſarem per legem potius a populo eam accepiſſe poteſtatem, ut tanquam Imperator coloniam illam deduceret. Unde recte FRONTINUS *de Coloniis*, *pag.* 103. *ſeq. ed. Goeſii*, ait: *Juſſu Imperatoris Cæſaris a vigintiviris eſt deducta*: & eo nomine temere reprehenditur a *Goeſio*, in *notis*, *pag.* 457. 6) Duplicem enim legem Cæſaris agrariam exſtitiſſe, jam ſuſpicatus eſt *Ulricus Obrecbt* in Diſſertatione *de legibus agrariis*, *cap.* 4. *pag.* 123. in ejus *Academicis*, & *Cbriſtianus Gotbofredus Hoffmannus* in *Hiſtoria Juris*, *tom.* I. *pag.* 125. Prior ergo (cujus capita laudatus *Hoffmannus* ex Goeſio affert *l. c.*) tantum egit de agris dividendis & aſſignandis: po-

ſterior vero ſine dubio Cæſari dedit poteſtatem, ut in agrum Campanum coloniam deduceret. (ſic enim loca veterum ſcriptorum optime conciliari poſſunt.) 7) Hoc vero fuit inventum Cæſaris, partim ut totum negotium ſine ſenatus auctoritate commode poſſet peragi: (nam & populum de agris ſine ſenatus auctoritate dividendis decernere, & ſine ſenatus auctoritate Imperatori poteſtatem coloniam deducendi dare potuiſſe ex antecedentibus apparet) partim ut totum quoque negotium per ipſum Cæſarem, non per perſonas ad coloniam deducendam a populo electas, ut alias mos erat, peragi poſſet. 8) Cæſari vero hoc concedi poterat ſine magna difficultate, quia jam ut Conſul & imperium & auſpicia habebat ex lege curiata generali, quæ de omnibus quotannis Conſulibus ferebatur, ut adeo ſtatim, quando urbem paludatus egreſſus erat, Imperator quoque eſſet: id quod in privato ſine lege curiata ſpeciali, ex Senatusconſulto lata, procedere non potuiſſet. 9) Hinc ego omnino quoque exiſtimo, Cæſarem illos, quos in coloniam iſtam ducebat, licet ex plebe homines, tanquam milites tamen deduxiſſe, & ipſam etiam coloniam forma & habitu militari condidiſſe. Hiſce igitur omnibus conſideratis, non amplius pronunciare dubito, Capuam militarem omnino fuiſſe coloniam. Nullam vero tempore liberæ reipublicæ aliam reperio coloniam deductam. Nam lex quidem Servilia Rulli non eſt perlata, & ea ipſa tamen non agit de certa aliqua colonia deducenda, ſed tantum de agris per decemviros dividendis & aſſignandis, ita tamen, ut ſimul decemviris iſtis poteſtas daretur, colonias pro lubitu deducendi: id quod ideo plane tanquam extraordinarium

rium

rium & enorme aliquid exagitat Cicero in ſuis de lege agraria orationibus. Sic etiam lex Flavia, (de qua Cicero *ad Attic. lib.* I. *Epiſt.* 18. 19) ſi modo eſt perlata, non de colonia deducenda, ſed tantum de agris dividendis & aſſignandis egit. Ex quibus omnibus jam abunde apparet, Vellejo Paterculo fidem adhuc ſuam conſtare, quando affirmat, nullam niſi militarem, poſt Eporediam, deductam fuiſſe coloniam. Et hæc tum de coloniis in genere, tum de variis illarum generibus ſufficere poſſunt, ergo non niſi unicam obſervatiunculam addere volo. Nimirum *Marcum Velſerum lib.* IV. *Rerum Auguſto-Vindelic. pag.* 232. T. I. Opp. nimis confidenter affirmaſſe, omnes colonias militares fuiſſe quoque Italicos: nam argumenta ejus nimis infirma ſunt, quam ut hoc probare poſſint, ergo ſtatuere malo, militares etiam non omnes unius ejuſdemque fuiſſe juris ac conditionis.

SECTIO II.

DE MUNICIPIIS IN SPECIE; NEC NON DE JURE AC DIFFERENTIA MUNICIPIORUM, COLONIARUM, PRÆFECTURARUM ET CIVITATUM LIBERARUM.

ARGUMENTUM.

§. 23. *Introitus.* 24. *Differentia inter municipia & colonias ex mente Ottonis.* 25. *Quid hac ſectione proponendum.* 26. *Manutii ſententia prima de differentia municipiorum, coloniarum & præfecturarum.* 27. *Quæ refutatur.* 28. *Sententia ſecunda de municipiis:* 29. *Quæ refutatur.* 30. *De Coloniis:* 31. *Quæ refutatur.* 32. *Sententia tertia:* 33. *Quæ explicatur & refutatur.* 34. *Argumento eorum, qui coloniis omnia jura civitatis Romanæ adſcribunt.* 35. *Reſponſio ad illa Spanhemii cum noſtra epicriſi.* 36. *Spanhemii ſententia examinatur.* 37. *Auctoris hac de re ſententia.* 38. *Marcellus Donatus notatur.* 39. *Varii errores de loco Suetonii notantur.* 40. *De municipiis, num ſemper propriis tantum legibus uſi fuerint, ſententia Spanhemii, quæ ſimul examinatur.* 41. *Loca Livii expenduntur.* 42. *De variis municipiorum generibus: ubi de loco obſcuro Feſti diſſeritur.* 43. *Municipiorum proprie ſic dictorum natura ex Gellio præcipue traditur.* 44. *Quibuſnam & qua ratione aliis ab Romanis præſcriberentur leges, coloniis imprimis.* 45. *De autonomia municipiorum, ejuſque limitibus.* 46. *Quomodo municipia interdum leges Romanorum reciperent: ubi im-*

imprimis de Capua diſſeritur. 47. *Cautelæ circa autonomiam municipiorum. Quatenus leges municipales Romæ obſervatæ fuerint.* 48. *Jus civile Romanorum num in ſubſidium valuerit in municipiis.* 49. *Diverſa municipiorum proprie ſic dictorum genera, in ſpecie ratione ſuffragiorum.* 50. *De jure ſacrorum municipiorum & coloniarum.* 51. *Diſtinctio municipiorum ratione immunitatis.* 52. *De municipiis in ſenſu lato & improprio.* 53. *De variis ſignificationibus vocis Municeps.* 54. *Locus Feſti hac de re expenditur.*

JAM progredimur ad Municipia paullo accura- 23.
tius contemplanda. Hæc a Coloniis quidem
Latinis, Italicis & Provincialibus facillime
diſcernuntur: quia hæ juribus civitatis atque Quiritium
carent omnes; quum municipia contra juribus
hiſce omnibus gauderent. Aſt non tam facile
tamen diſcernuntur a civium Romanorum
coloniis, adeo, ut vel ab ipſis ſcriptoribus antiquis
quam ſæpiſſime confundantur. Hinc in ipſa
Municipiorum jura, & quomodo ab aliis civium
Romanorum oppidis differant, paullo accuratius
eſt inquirendum. Vir Ampliſſimus *Everbardus* 24.
Otto in libro egregio *de Ædilibus Coloniarum & Municipiorum*, *cap.* 1. §. 3. recte notavit, Municipia
a Coloniis tribus potiſſimum rebus differre:
1) Origine: nam municipia extrinſecus in civitatem
veniebant; coloniæ ex civitate erant
propagatæ, ut loquitur GELLIUS *Noct. Attic. lib.* XVI. *cap.* 13. 2) Sacris: municipia enim ſacra
ſemper ſua antiqua; colonias vero ſacra Romanorum
retinuiſſe, probat vir laudatus. 3) Legibus:
municipia enim ſuas retinebant leges, neque
leges Romanorum ſuſcipere cogebantur, niſi id

 ſpon-

ſponte facere mallent: coloniæ vero legibus a Romanis præſcriptis vivere tenebantur, ut ſatis
25. indicavit GELLIUS. *l. c.* Sed, præterquam quod de ultimo capite adhuc dubitetur, num omnia ſcilicet municipia, & omnibus temporibus, propriis vixerint legibus: hæ differentiæ ſufficere quidem quodammodo poſſunt ad municipia a coloniis in genere diſcernenda, non vero ſufficiunt ad municipia diſcernenda a coloniis in ſpecie civium Romanorum. Volumus ergo hac Sectione in ipſa Municipiorum jura paullo accuratius inquirere, ſimulque oſtendere, quomodo non tantum a coloniis civium Romanorum, & a præfecturis, oppidiſque liberis & fœderatis differant, ſed etiam quomodo municipes a civibus Romanis in urbe ipſa ejuſque proprio territorio habitantibus, nec non a civibus in provinciis commorantibus diſtinguantur. Licet enim quædam huc pertinentia jam prioribus capitibus delibata ſunt, multa tamen adhuc dicenda reſtant, quæ iis ſimul, quæ antea jam pertractata ſunt, lucem fœnerantur egregiam. Eſt vero hic eo cautius procedendum, quo magis hæc omnia tenebris ſunt involuta craſſiſſimis, adeo ut jam GELLIUS *l. c.* ſuis temporibus conqueratur, jura municipiorum obſcura eſſe & obliterata: id quod nobis etiam veniam apud æquos judices præſtabit, ſi rem acu non ubique tetigerimus.

26. Primus, qui poſt renatas litteras in hæc jura paullo accuratius inquiviſit, fuit *Paullus Manutius*, vir ſane doctus & accuratus, cui ſi licuiſſet libros, quos de Romana antiquitate meditabatur, perfecte elaborare, omnibus fortaſſis palmam præripuiſſet. Sed dum viveret, non niſi unicum *de Legibus* librum edere potuit: ſtatim vero

Digitized by Google

vero poſt mortem ejus filius *Aldus* alterum edidit *de Senatu*, quem cæteris elaboratiorem reperit. Et hiſce quidem duobus libris ſuum omnino pretium eſt ſtatuendum. Poſtea vero idem filius alios duos ex ſchedis parentis libros edidit: *de Civitate* nempe *Romana* & *de Comitiis*: ſed ſi hi cum prioribus conferantur, facile apparet, hoſce libros nondum ſatis fuiſſe perpolitos: præſertim vero liber *de Comitiis* valde eſt mancus, & in eo de variis reipublicæ Romanæ inſtitutis longe aliter diſſerit, ac ipſe in libro de civitate Romana diſſeruerat, & ita quidem, ut plerumque melior ſit ſententia, quam in libro *de Civitate*, quam ea, quam in libro *de Comitiis* amplexus eſt. Sed ſæpius tamen in utriſque libris a recta via prorſus aberrat, adeo ut caute admodum ſint legendi. Jam in priori quidem capite varia, quæ nobis non arridebant, notavimus: ſed varia adhuc reſtant, quæ errandi occaſionem facile præbere poſſunt. Hinc operæ pretium erit, ut totam ejus doctrinam, quatenus huc pertinet, examinemus paullo accuratius. Valde ſane fluctuat Manutius in determinandis juribus municipiorum & coloniarum, & non tantum, ut jam notavi, aliter hac de re diſſerit in libro de Comitiis, ac diſſeruerat in libro de Civitate Romana, ſed in ipſo hoc etiam libro ne ſecum ipſe quidem concors eſt, niſi dicere malimus, eum non ubique de iiſdem locutum fuiſſe temporibus: id quod facile quidem credo, ſed ne ſic quidem ab omni liberatur culpa vir iſte doctus, quia hoc clarius indicare debuiſſet. Quicquid vero hujus ſit, primo quidem in libro *de Civitate Romana*, *pag.* 16. *Tom.* I. *Theſ. Græv.* ubi exponit, quænam ſint prærogativæ civium proprie ſic dictorum, qui in urbe

urbe nimirum agrove Romano domicilium habent, dicit, ad civium Romanorum abſolutam definitionem requiri: 1) ut cenſeantur & ſuffragium ferant in aliqua tribu: 2) ut regantur a Romanis magiſtratibus, & Romanis legibus vivant: 3) ut de tribus ordinibus unum obtineant. Deinceps vero hæc applicat, ſtatuitque cenſeri & ſuffragium ferre ad municipes etiam pertinuiſſe: duas vero reliquas partes ab iis abfuiſſe. At colonias (intelligit ſine dubio civium Romanorum colonias, licet & hoc clarius exprimere debuiſſet) de tribus hiſce partibus unam & dimidiam habuiſſe putat: ſiquidem non tantum cenſeantur & ſuffragium ferant, ſed & Romanis legibus vivant, non vero a Romanis magiſtratibus, ſed a ſuis duumviris regantur. Præfecturas vero de tribus hiſce partibus non niſi unam habuiſſe exiſtimat, quod nempe a Romanis magiſtratibus regerentur, Romaniſque legibus vivere tenerentur.

27. Adduxi jam priori capite totum huncce locum, (§. 13.) & ſimul ſententiam quoque de illo meam, quatenus ad doctrinam ibi propoſitam pertineret, perſpicue declaravi: cætera vero hoc loco paucis jam ſunt indicanda. Quod igitur primo ad municipia attinet, ut nihil jam dicam de Cenſu, (de quo in poſterum alio capite agendum erit) 1) notum eſt, ante legem Juliam non omnia habuiſſe jus ſuffragii in Italia, neque illud unquam habuiſſe ea, quæ extra Italiam ſita erant: 2) Verum quidem eſt proprios municipia ſuos habuiſſe magiſtratus, a quibus immediate regebantur: aſt mediate tamen ſuberant etiam Romanis magiſtratibus, ut priori capite notavi. Videtur etiam hac in parte municipiorum conditio adſtrictior fuiſſe ſub Imperatoribus, quam libera

bera republica, nec non eorum, quæ in provinciis, quam eorum, quæ in Italia ſita erant. 3) Dubitatur adhuc, num omnibus municipiis omnibuſque temporibus plenaria legum ſuarum libertas fuerit, qua de re infra dicendi locus erit: id interim tamen certum eſt, haſce duas res, quod propriis nempe magiſtratibus propriiſque legibus uterentur, non ad defectum, ſed ad prærogativam potius municipiorum pertinuiſſe. Fallitur omnino Manutius, quando negat, municipes unum ex tribus civium Romanorum ordinibus habuiſſe, ut jam priori capite indicatum fuit. Quod porro ad Colonias attinet, ut etiam hic nihil de Cenſu dicam: 1) valde dubium eſt illarum jus ſuffragii ante legem Juliam: immo Manutius illud ipſe alio iſtis loco expreſſe abjudicat, ut mox videbimus. 2) Quod de propriis illarum magiſtratibus dicit, id eadem cum cautela, ac de municipiis, accipiendum eſt. 3) ſic etiam, quod coloniæ Romanis viverent legibus, cum quadam accipiendum eſſe cautione, pariter jam priori capite monui, & infra pluribus explicabo. 4) Neque etiam negandum eſt, colonos cives Romanos in aliquo ex tribus fuiſſe ordinibus in quos cives Romani erant deſcripti. De Præfectuarum incolis jam priori capite monui, non de iis ſimpliciter negandum eſſe, eos in cenſum fuiſſe relatos, eoſque jus ſuffragii habuiſſe: quod vero a Romanis magiſtratibus Romaniſque legibus regerentur, id non ad eorum prærogativam, ſed ad pœnam potius pertinebat. Verum hac quoque de re infra latius erit differendum: ſufficiant ergo hæc de priori Manutii loco.

Deinceps idem Manutius, eodemque libro, 28.
pag. 30. *Tom.* I. *Theſ. Græv.* de juribus Municipiorum

Digitized by Google

piorum & Coloniarum (nam de Præfecturis eadem fere repetiit, aliis tantum verbis) alio paullulum modo mentem ſuam aperit. Et primo de Municipibus quidem dicit, illos quatuor habuiſſe jura civium Romanorum: (ſtricte ſcilicet dictorum) quatuor vero non habuiſſe. Quatuor illa, quæ habebant, ex mente Manutii ſunt: 1) cenſeri, 2) ſuffragium ferre, 3) munerum omnium partem capere, 4) tributum pendere. Quatuor vero illa, quæ juxta eundem non habebant, ſunt: 1) locum habere in legionibus: 2) uti legibus Romanis, 3) ſacra more Romano facere. 4) Quiritum populive Romani nomine appellari.

29. Sed contra hæc varia veniunt monenda. 1) De
cenſu infra dicam: de ſuffragiis vero jam paullo
ante cautelam propoſui. 2) Munerum quidem
publicorum cum Romanis erant participes: aſt
ad honores tamen ad curiam non niſi eo caſu,
ſi domicilium Romam transferrent, admitti poterant.
3) Quod ad tributum attinet, id verum
tantum eſſe potuit, quouſque cives ex cenſu adhuc
tributum conferre ſolebant. 4) Fallitur omnino
Manutius, quando municipibus locum in
legionibus abjudicat, ut jam notavit *Joh. Georg.
Grævius* in *Præfatione* ad *Tom.* I. *Theſ. Antiqq.
Rom. pagg.* *** 3. 5) Fallitur quoque ille, quando
municipes ſub Quiritum & populi Romani no-
30. mine comprenheſos fuiſſe negat. 6) De legibus
& ſacris denique alibi dicam pluribus. Videbimus
jam porro, quid eodem etiam loco de Coloniis
dicat Manutius. *Coloni*, inquit, *ſimiles
erant civibus Romanis tribus rebus: 1) quia legibus
Romanis vivebant, 2) ſacra Romano ritu peragebant,
3) locum in legionibus habebant: diſſimiles
quinque: 1) quia neque cenſebantur, 2) neque ſuffragium*

fragium ferebant, 3) *neque munerum participes erant*, 4) *neque tributum pendebant*, 5) *neque Quirites aut populus Romanus vocabantur*, *ideoque nec cives Romani vocabantur quamquam e civitate ipſa in colonias eſſent profecti.* Sed ad hæc non minus quoque varia veniunt monenda. 31.
1) Vivebant quidem legibus a Romanis præſcriptis coloni, ſed propterea certo dici nequit, illos iiſdem etiam cum civibus in urbe legibus uſos fuiſſe in colonia, qua de re alibi pluribus dicam. 2) ſacra quidem in coloniis ad exemplar urbis Romæ ſine dubio fuerunt inſtituta: aſt ſacris tamen curialibus coloni prorſus carebant. 3) Quod hic neget Manutius colonos cenſos fuiſſe, & ſuffragium tuliſſe, id aperte pugnat cum loco paullo ante adducto: ſed utrumque forſan, ſi tam abſolute enunciatur, falſum eſt: potuerunt enim jura hac in parte pro diverſis temporibus fuiſſe diverſa, qua de re infra pluribus dicendum eſt. 4) Non video, cur coloni cives non etiam munerum civilium participes fuiſſent: quoad dignitates vero eadem hic cautio eſt repetenda, quam de municipibus ſuppeditavi. 5) Quoad tributum colonos cives cum aliis Romanis civibus ejuſdem conditionis fuiſſe puto. Immo ſi hac in re inter colonos ac municipes aliaqua fuerit differentia, ego libentius crederem, colonos durius fuiſſe habitos, quam municipes, quia & in cæteris adſtrictior eorum conditio, & major erga Romanos obligatio erat, id quod tamen aliis dijudicandum relinquo. 6) Neque ullum denique eſt dubium, quin coloni, qui jure civitatis Romanæ gaudebant, cives quoque Romani vocati, & ſub Quiritium ac populi Romani nomine comprehenſi fuerint.

Jam tertium etiam Manutii locum, ubi de hac 32.
doctri-

doctrina agit, paullo accuratius contemplabimur. Nimirum in libro *de Comitiis*, *pag.* 488. *tom.* I. *Theſ. Græv.* ita loquitur: *Aliam rationem fuiſſe dico eorum, qui Romæ domicilium habebant, aliam eorum, qui e municipiis ad comitia venirent. Qui Romæ domicilium habebant, in his utrum rura poſſiderent, nec ne, ſpectabatur, & in ruſtica tribu, qui rus haberet; qui non haberet, in urbana cenſebatur. Hi & cives Romani erant, & vere dicebantur. Nam qui Romæ domicilium habebat, hic non modo ſuffragium ferebat, verum etiam in tribu cenſebatur, & Romanis legibus vivebat. Municipiorum diſſimilis erat cauſa: ferebant enim ſuffragia, in tribu tamen non cenſebantur, neque Romanis legibus, ſed ſuis utebantur. Itaque ſive aliquis e municipio rus in agro Romano haberet, ſive non haberet, is, ſi Romæ non habitaret, & in ſuo municipio patriis legibus viveret, in ea tribu ſuffragium ferebat, in qua totum municipium a principio populi juſſu ſuffragii lationem habuerat. Eademque fuit coloniarum conditio. Nam quum extra Romanum agrum rura poſſiderent, tamen ſi quis ex aliqua colonia Romam veniret, ferre ſuffragium poterat in ea tribu, in qua & ipſe, antequam in coloniam emitteretur, & majores ſui ſuffragium tulerant. Nam ſi municipibus hoc licuit, ut in ruſtica tribu ſuffragium ferrent, etiamſi nullam agri Romani partem tenerent, cur non colonis idem liceat? quum præſertim eo melior colonorum eſſe debeat conditio, quam municipum, quia municipes Romanis legibus non utuntur: coloni autem, quum & ipſi ſuffragii jus habeant, in eo tamen municipibus nobiliores videntur, quia Romanis legibus vivunt: ſicut & colonis in eo cives Romani præſtant, quia cenſentur in ſua quiſque tribu. Unam enim quaſi partem urbis Romæ municipes habent, quia ſuffragium*

gium ferunt: duas coloni, quia & ſuffragium ferunt, & Romanis legibus utuntur: tres cives; quia non modo ſuffragium ferunt, Romanaſque leges ſervant, verum etiam in tribubus cenſentur. Non enim, ut quicunque cenſetur, is & ſuffragium fert: ſic quicunque ſuffragium fert, is eadem ratione cenſetur. Cenſentur & ſuffragium ferunt omnes, qui Romæ domicilium habent: ſuffragium ferunt, nec tamen cenſentur, municipes, niſi domicilium in urbe habeant, qui tamen, ut opinor, in ipſa tribu cenſebantur, in qua municipes eorum ſuffragium ferebant. Neque vero civem eſſe, & jus civitatis habere, idem eſt. Nam municipes jus civitatis habent, cives tamen vere non ſunt, quum omnes cives & ſuffragii lationem habeant, & Romanos leges obſervent, & in tribu cenſeantur: municipes autem ſuffragii quidem ferendi jus habeant, verum neque cenſeantur, neque Romanis legibus pareant. Quamquam ne hoc quidem, ut ſuffragium ferrent, commune omnium municipiorum fuit. Colonis vero nunquam ſuffragii ferendi jus non fuit. Non enim extrinſecus in civitatem veniebant, ut municipia, ſed e civitate ipſa quaſi propagatæ, jura inſtitutaque populi Romani omnia ſervabant: quum municipia honorum quidem & munerum cum populo Romano partem capere poſſent, interea tamen ſuo jure ſuiſque legibus uterentur. Quare non quicunque habet jus civitatis, pari conditione cum iis fuiſſe, qui cives Romani erant, exiſtimandus. Præſtant igitur municipibus coloni; colonis cives; civibus qui in urbana tribu, cives qui in ruſtica cenſentur. Totum hunc debui locum, licet ſatis prolixum, adducere, ut lector ſtatim judicare valeat, num mentem Manutii recte perceperim, nec ne: eſt enim locus paullo obſcurior, ut interpretatione omnino indigere videatur. Volumus igitur ope- 33.

ram dare, ut, quantum fieri poteſt, & Manutii, & noſtram ſententiam perſpicue proponamus. 1) Primo quidem ante omnia notandum eſt, Manutium civis Romani denominationem in toto hoc loco ſenſu ſpecialiſſimo ſumere, ut ſub ea non niſi cives, qui in urbe agroque Romano domicilium habent, comprehendantur. Hinc neceſſe fuit, ut diſtingueret inter cives, & eos, qui jus tantum civitatis habent. Ipſe tamen Manutius in libro *de Civitate Rom. pag.* 22. agnoſcit, municipes & colonos ſæpiſſime etiam cives Romanos dici, adeo, ut hæc diſtinctio non magni ſit momenti. Non tamen plane eſt rejicienda: ſæpe enim cives ab ipſis veteribus ſcriptoribus contradiſtinguntur, adeo ut hi per contemtum interdum peregrini dicantur. Sed ſicuti hoc pro convicio tantum eſt habendum, ita quando coloni & municipes civibus contradiſtinguuntur, id non ſic accipiendum eſt, ac ſi propterea illi non eſſent cives, ſed hoc tantummodo, ut a civibus originariis, vel in ipſa urbe habitantibus, quoniam propriam ſuam jam habent denominationem, diſtinguantur. Hinc facile carere poſſumus diſtinctione illa inter cives, & qui jus civitatis habent, quum nullum præſertim veterem ſcriptorem, qui ea uſus eſſet, deprehendamus. Sed hac de re jam priori capite ſatis fuit dictum, ubi pariter aliam etiam rejecimus differentiam inter cives & Romanos, eo ſenſu, quo Manutius eam accepit. 2) Deinde videmus virum hunc doctum diſtinguere inter *cenſeri in tribu*, & *ſuffragium ferre in tribu:* putat enim, non omnes, qui ſuffragium ferebant, cenſos etiam fuiſſe; contra omnes eos, qui cenſi erant in tribu, ſuffragium quoque tuliſſe. Hinc cives proprie ſic

dictos

dictos & cenſos fuiſſe in tribu, & ſuffragium tuliſſe; municipes vero & colonos ſuffragium quidem tuliſſe, aſt non cenſos fuiſſe in tribu exiſtimat: ſed municipes quidem ſuffragium tuliſſe in tribu, in qua ſuffragium ferre juſſi erant; colonos vero in tribu, in qua vel majores eorum, vel ipſi, antequam in coloniam profecti erant, ſuffragium tulerant. Sed hæc omnia gratis, ſine ullo veterum teſtimonio affirmantur: ego vero facile oſtendam, ea omnia non poſſe conſiſtere cum ipſa reipublicæ Romanæ forma & cum diſertis veterum teſtimoniis. Eſt quidem per ſe aliud jus cenſus, aliud jus ſuffragii, ſunt tamen hæc duo jura adeo inter ſe connexa, ut unum regulariter ab altero ſeparari nequeat. Ordinarie ergo qui in tribu cenſebatur, habebat etiam jus ſuffragii; & contra qui habebat jus ſuffragii, in tribu etiam cenſebatur. Aſt e contrio qui non cenſebatur, etiam non habebat jus ſuffragii: & qui non habebat jus ſuffragii, etiam non cenſebatur. Neque enim comprehendere poſſumus, quomodo potuiſſent quidam ſuffragium ferre in certa tribu, quum tamen non cenſerentur in iſta tribu. Municipia ergo, quæ jus ſuffragii habuerunt, ſine dubio in certa quoque tribu quadam cenſa ſunt, ut ipſe Manutius in libro *de Civitate Romana*, locis ſupra adductis agnoſcit. Non enim illis certa tribus, ideo tantum aſſignabatur, ut in illa ferrent ſuffragium, ſed ut in illa etiam cenſerentur: ut diſertis quoque verbis indicat Livius *lib.* XXXVIII. *cap.* 36. qui locus totum Manutii commentum ſolus refellere poteſt. Poſtquam enim narravit, plebiſcitum perlatum eſſe, ut Formiani & Fundani in Æmilia tribu; Arpinates in Cornelia ſuffragium ferrent, ſtatim addit:

dit: *atque in his tribubus tum primum cenſi ſunt.* Ex quo loco ſimul & illud diſcimus, municipes ſine jure ſuffragii non habuiſſe tribum, adeoque eos non fuiſſe cenſos. Ex quo obiter etiam concludo, illos, qui in Cæritum tabulas relati ſunt, a tribu etiam & cenſu ſimul fuiſſe excluſos, qua de re alio capite erit dicendum, hic vero ideo tantum annotatur, ut eo melius arctiſſima inter cenſum & ſuffragii lationem connexio appareat, & regulæ ſupra traditæ veritas confirmetur. Si quid ergo in Manutii ſententia verum eſt, ea ita debet accipi, Municipes & Colonos non eodem in tribu fuiſſe cenſos modo, ut cives, qui in urbe agroque Romano domicilium habent, ſecundum ſitum videlicet vel domicilii, vel agrorum, quos poſſidebant. Nam municipia (ut & coloniæ omnes) extra agrum Romanum ſita erant, adeoque proprie ad tribus non pertinebant: cenſus tamen & ſuffragii gratia certa illis tribus aſſignabatur, eamque non mutabant municipes, qui rura in agro Romano adquirebant, aut Romam domicilium transferebant, ut ipſe Manutius perſpexit. Num tamen propterea dici poſſit, eos non fuiſſe in tribu cenſos, id aliis dijudicandum relinquo: veteres certe non ita locutos fuiſſe conſtat. Non poſſum quoque Manutio in eo aſſentiri, quando putat, colonos ſuffragium tuliſſe in ea tribu, in qua vel majores, vel ipſi, antequam in coloniam profecti ſunt, ſuffragium tulerant. Ego nullum ſane hujus rei veſtigium in vetuſtis ſcriptoribus reperire potui. Puto ergo potius cives in colonias deductos tribum ſuam antiquam amiſiſſe & ſi colonia aliqua deberet jus cenſus & ſuffragii habere, tunc toti iſti coloniæ unam certam tribum fuiſſe aſſignatam, perin-

perinde ac municipiis, quibus cum jure ſuffragii civitas dabatur. Deſidero tamen hac de re diſertum adhuc probati ſcriptoris teſtimonium. Poſt legem Juliam omnibus utique Coloniis & Municipiis, quæ tum jus ſuffragii accipiebant, certas fuiſſe tribus aſſignatas, ſatis conſtat. 3) Porro videmus, Manutium hoc loco Coloniis ſine ulla diſtinctione omnibus jus ſuffragii tribuere, idque quidem partim ob dignitatem earum, quæ municipiis præſtabant, partim etiam quia Romanas obſervabant leges. Enimvero exinde jus ſuffragii minime ſequi, quilibet facile perſpicere poteſt. Digniores quidem habebantur coloni, quam municipes, ratione originis, & quia inſtar liberorum erant intuitu Romanorum, quum municipes ut amici tantum conſiderarentur. Non vero propterea abſurdum erat, ſi Romani in quibuſdam rebus majores concederent honores amicis, quam liberis: hinc exinde, quod Romani municipibus quibusdam ſuffragii jus conceſſerint, concludere non poſſumus, colonos id eo magis quoque habuiſſe. Sed hac de re mox latius diſſerendi locus erit. Quod vero coloniæ legibus etiam Romanis erant obſtrictæ, id plane non ad earum dignitatem, ſed ad conditionem magis obnoxiam pertinebat. Eſt enim inſignis prærogativa propriis vivere legibus, quam Romani tanquam beneficium conceſſerunt non municipiis tantum, ſed & oppidis populiſque liberis ac fœderatis. 4) Videmus tandem, Manutium in hocce loco tres civium Romanorum prærogativas, alio prorſus modo, ac in libro de Civitate Romana, proponere, nimirum: (1) cenſeri in tribu, (2) ſuffragium ferre in tribu, (3) Romanis legibus vivere: ex quibus unam tantum partem

tem tribuit municipibus, ſuffragii ſcilicet lationem: duas colonis, præter ſuffragii jus videlicet, ut Romanis quoque legibus viverent: omnes vero tres civibus tantum proprie ſic dictis. Sed tertiam illam partem, Romanis nempe legibus vivere, nihil ad jus civitatis pertinuiſſe, jam priori capite docui: in duabus cæteris vero omnes optimo jure cives ſimiles fuiſſe, pariter ibidem expoſui; neque hæc etiam jura divelli potuiſſe, paullo ante oſtendi. Sed hæcce duo jura num omnibus quoque Coloniis & Municipiis, & omnibus quidem temporibus, competierint, id adhuc in quæſtione eſt, qua de re jam paullo accuratius erit dicendum.

34. Poſtquam enim hactenus diverſas Manutii ſententias conſideravimus, jam, omiſſis aliis minorum gentium ſcriptoribus, Sigonii etiam & Spanhemii hac de re opiniones perluſtrabimus. Et quia poſterior prioris ſimul ſententiam ubique dijudicaverit, poſſumus una fidelia duos dealbare parietes. Hinc accurate tantum excutiendum nobis eſt, quid *Ezechiel Spanhemius* ea de re ſcripſerit in præclaro iſto opere, qui inſcribitur *Orbis Romanus.* Et primo quidem *Exerc.* I. *cap.* 9. agit ille de Coloniis civium Romanorum, eorumque juribus, quæ controverſa eſſe indicat. Hinc refert, *Sigonium* illis tribuere jura tantum privata civium Romanorum jura vero publica eorum illis abjudicare: *Manutium* vero illis jus quoque ſuffragii ac honorum tribuiſſe, eumque ſecutum fuiſſe *Job. Harduinum.* De Manutio quidem jam paullo ante vidimus, eum hac in re valde fluctuaſſe: Harduini vero ſententiam fide tantum Spanhemii referimus: neque enim nobis operæ pretium videtur, ſcripta ejus obſcura ut plu-

Digitized by Google

plurimum, & paradoxis ſententiis refertiſſima, propterea evolvere. Deinde Spanhemius *pag.* 50. *edit. Hallenſ.* exacte & candide omnia refert argumenta, quæ pro hac ultima ſententia, ac ſi coloniæ civium Romanorum omnibus civitatis juribus gaviſæ fuerint, aliquo tantum modo facere poſſunt, quæ nos hoc quoque loco, propriis tamen verbis, repetere volumus. Videtur nimirum hoc probari poſſe 1) ex ipſa coloniarum civium Romanorum denominatione, ad diſcrimen ſcilicet coloniarum Latinarum. 2) Exinde quoque, quod Cicero tradit, civitatem amitti tantum ab iis, qui in Latinas colonias proficiſcuntur, concludi poſſe videtur, eos, qui in civium Romanorum colonias nomen dederunt, jura civitatis integra retinuiſſe. 3) Porro argumentum etiam peti poſſe videtur ex Livio *lib.* XXXIV. *cap.* 41. Quum enim vel Latini, qui in coloniam Romanam, id eſt civium Romanorum, nomen dederant, ob id ſe pro civibus Romanis gererent, ſequitur, ipſos magis cives, in coloniam talem deductos, habuiſſe omnino jura civitatis. 4) Accedit, quod hujus generis coloni ſæpenumero cives, ac veteres cives appellentur: vide e. g. Livium *lib.* VI. *cap.* 21. & *lib.* VIII. *cap.* 14. 5) Hinc etiam coloniarum iſtarum cenſum interdum Romæ actum fuiſſe patet ex Livio *lib.* XXIX. *cap.* 37. 6) Et ipſæ denique coloniæ appellantur urbis Romæ quaſi effigies parvæ & ſimulacra apud Gellium *Noct. Attic. lib.* XVI. c. 13. 7) Unde etiam municipia aliquando in colonias mutata fuiſſe legimus, quod ſine dubio non petiiſſent, ſi optimum propterea civium Romanorum jus amitterent.

Jam igitur videbimus, quid laudatiſſimus Span- 35.

hemius ad hæcce reſpondeat argumenta, (*pag.* 56. *ed. Hall.*) addita noſtra ſubinde epicriſi. Ad *primum* & *quartum* ſimul argumentum reſpondet, Colonias illas vocatas fuiſſe civium Romanorum; & colonos cives ac veteres cives, quia cives revera erant, quum nomina darent in coloniam, ac privata Quiritium jura retinerent, utque diſtinguerentur a coloniis Latinis. Prima ratio nihil valet; nam ita vocantur, non ratione ſtatus præteriti, ſed præſentis, & qui in colonias Latinas nomen dederunt, plerumque cives etiam fuerunt. Altera vero ratio ſufficit: docui enim priori capite, ad civem Romanum efficiendum ſufficere jura civitatis Romanæ privata; publica non prorſus fuiſſe neceſſaria. Ad *ſecundum* quoque argumentum recte reſpondet Spanhemius, de iis, qui privata civium Romanorum jura retinent, dici non poſſe, quod capitis deminutionem mediam patiantur, quia id tantum ad eos ſpectat, qui jus civitatis Romanæ in totum amittunt, ut qui in colonias Latinas nomen dederunt. Quando vero hoc illuſtrare vult Spanhemius exemplo proletariorum, & capite cenſorum hiſque jus ſuffragii & honorum abjudicat, doctiſſimo huic viro quoad jus ſuffragii aſſentiri non poſſum: conſtat enim hoſce jus ſuffragii omnino habuiſſe: quoad jus tamen honorum libenter adquieſco: quemadmodum etiam ea, quæ de jure Quiritium obiter adſpergit, quum priori capite abunde excuſſa ſint, prætereo: de loco vero Livii *lib.* XXXIV. *cap.* 41. mox ipſius Spanhemii ſententiam videbimus. Ad *quintum* argumentum reſpondet ille, hoc exemplum prorſus extraordinarium & inſolitum fuiſſe, ut ex ipſo Livii loco appaıet, & hinc ex illo nihil eſſe con-

clu-

cludendum. Ad *ſextum* & *ſeptimum* argumentum nihil reſpondit Spanhemius, hinc ego pro illo paucis reſpondebo. Nimirum quod coloniæ parvæ effigies & ſimulacra urbis Romæ appellentur, exinde non poteſt concludi, colonos in omnibus ſimili cum civibus in urbe jure gaviſos fuiſſe: ſed hoc pertinet tantum ad ipſam reipublicæ formam, quæ in coloniis quodammodo erat adumbrata. Quod vero interdum municipia in colonias transmutari voluerint, id factum forſan modo fuit in Italia poſt legem Juliam, ubi jam coloniæ jus ſuffragii habebant; aut in provinciis, ubi municipia eodem, ac coloniæ, modo jure ſuffragii carebant. Bene etiam Spanhemius monet, quando in Cicerone & Hirtio de coloniarum ſuffragiis mentio occurrit, id de ſolis poſt legem Juliam temporibus accipiendum eſſe. Hæc ad diſſentientium argumenta.

Jam videbimus ipſius *Spanhemii* ſententiam cum ejus rationibus, addita etiam hic, ut in prioribus, noſtra ubique epicriſi. Approbat nimirum (*pag.* 51. *ed. Hall.*) vir iſte omni laude major Sigonii ſententiam: Colonias ſcilicet civium Romanorum privata tantum Quiritium jura habuiſſe; non vero publica: id quod tamen de jure cenſus, ſuffragii & honorum ſine dubio tantum intelligi vult. Nam jus quidem ſacrorum, quod ad jus etiam publicum ipſe retulit, alibi diſertis verbis adjudicat coloniis: neque etiam credo, Spanhemium illis jus militiæ, aut tributorum ac vectigalium denegare: cautius tamen loqui debuiſſet vir præſtantiſſimus. Sed videbimus jam ipſa Spanhemii argumenta. 1) Primum ducit ex Ciceronis Orat. II. *Catilin cap.* 20. ubi Romani quidem cives dicuntur exſtitiſſe, qui in eas, a 36.

Sylla deductas colonias, ſunt profecti, ſed ita, ut non tam cives deinde, quam coloni ſint habiti: ſed quis non videt, virum doctum locum huncce præter rationem ad ſuam trahere ſententiam? Nam α) aperte eos cives vocat Cicero, non ratione ſtatus præteriti, ſed præſentis, quod ſcilicet adhuc eſſent cives. β) Vocat quidem ſtatim eos Colonos, ſicuti re vera erant: aſt ideo tamen non negat, eos optimo etiam jure cives eſſe Habebant enim cives in coloniis & municipiis, licet omnibus quoque civitatis juribus gauderent, quatenus homines extra urbem illorum habiles erant, propriam tamen ſuam denominationem, ut ſcilicet vel coloni, vel municipes vocarentur; & eatenus, ut ſupra dixi, interdum diſtinguuntur quoque a civibus ſtricte ſic dictis, qui in ipſa ſcilicet urbe, ejuſque proprio territorio, domicilium collocarunt; ſed hacce tamen denominatione nihil juribus aut ſtatui eorum derogatur. γ) Id vero inprimis hic notandum venit, totum hocce Spanhemii argumentum plus probare, & hinc nihil probare. Manifeſte enim Cicero loquitur de temporibus poſt legem Juliam, ubi jam Coloniæ, juxta propriam Spanhemii ſententiam, non ſecus ac municipia Italiæ, pleno ſuffragii jure fruerentur. Si ergo aliquam hoc argumentum vim haberet, exinde etiam probari poſſet, colonos poſt legem Juliam nondum perfectum habuiſſe jus civitatis: id quod tamen falſum eſſe ipſe agnoſcit Spanhemius. Ex quo tamen nos concludere poſſumus, ſi etiam hoc tempore, ſalvo eorum jure, Cicero eos colonos vocare potuerit, hanc denominationem ante legem quoque Juliam, ſicubi occurrit, nullum juribus coloniarum præjudicium facere debere. 2) Alte-

terum argumentum petit Spanhemius ex Ciceronis *Orat. pro Balbo*, *cap.* 21. ubi refert, per legem Apulejam, a L. Apulejo Saturnino Tribuno plebis latam, eam C. Mario datam fuiſſe poteſtatem, ut in ſingulas colonias ternos cives Romanos facere poſſet. Sed hoc de coloniis civium Romanorum minime poſſe intelligi, facile perſpicitur: quis enim unquam ita locutus eſt, in coloniis civium Romanorum cives factos fuiſſe? Immo ex illo ibidem a Cicerone adducto exemplo ſatis apparet, id de Latinis coloniis omnino intelligi debere. 3) Tertium argumentum deducit Spanhemius ex loco Livii *lib.* XXXIV. *cap.* 41. quem antea pro contraria jam ſententia adduxerat, nunc vero in ſuas trahit partes. Nimirum ex *cap.* 44. patere ait vir doctus, haſce colonias civium fuiſſe Romanorum; & tamen Senatus *cap.* 44. judicavit, colonos iſtos non eſſe cives Romonos. Sed qui ipſum modo Livii locum paullo accuratius inſpicere velit, is ſtatim videbit, nihil in hocce loco neque pro Spanhemii, neque pro contraria ſententia reperiri. Notandum nimirum eſt, potuiſſe in una non nunquam colonia colonos eſſe diverſæ conditionis. Interdum enim, quando colonia civium Romanorum deducebatur, & non aderat numerus colonorum definitus, Latini quidam ad numerum explendum adſcribebantur. (Vid. Livius *lib.* III. *cap.* 1. & *lib.* VIII. *cap.* 14) ſicuti vero cives, qui in colonias civium Romanorum deducebantur, retinerent jus civitatis Romanæ; & contra, qui in colonias deducebantur Latinas, amitterent jus civitatis: ita exinde non ſequebatur, Latinos civium Romanorum coloniæ adſcriptos, eo ipſo ſtatim quoque cives factos fuiſſe Romanos: ſed ma-

manebant potius Latini, niſi ſpeciali lege jura civitatis adquirerent. Unde recte LIVIUS dicit, Latinos coloniæ civium Romanorum adſcriptos novum hicce jus tentaſſe, ut cives eſſent Romani: ſed Senatum Romanum decreviſſe, eos non eſſe cives Romanos. Ex quo jam ſatis apparet, nihil ex hoc loco hac in re concludi poſſe: pertinet enim hic tantum locus ad Latinos coloniis civium Romanorum adſcriptos. (Conf. V. *Cel. Andreæ Dukeri notas* ad hunc Livii locum, *tom.* IV. *pag.* 849. *edit. Drakenb.*) 4) Præcipue vero ſententiam ſuam niti exiſtimat Spanhemius loco illo DIONIS CASSII *lib.* XLIII. *pag.* 253. (quo etiam nihil clarius eſſe putavit *Heineccius* in *App.* ad *lib.* I. *Synt. Antiqq.* §. 127.) ubi ille narrat, Julium Cæſarem aliis in Hiſpania immunitatem, aliis civitatem, (πολιτείαν) aliis denique, ut jus haberent coloniarum Romanorum, (καὶ ἄλλοις ἀποίκους τῶν Ῥωμαίων νομίζεσθαι,) largitum fuiſſe; quippe quæ verba ut addit, aperte ſatis utriuſque illius juris, datæ nempe civitatis, aut vero juris Romanæ coloniæ, diverſitatem docent. Aſt mihi tamen hicce locus nihil minus, quam Spanhemii ſententiam probare videtur. Nam (1) incertum adhuc eſt, num Cæſar oppida in Hiſpania iſta colonias fecerit civium Romanorum, an vero Latinas potius, aut Italicas: nam & Latinas Romanorum colonias dici potuiſſe ipſe agnoſcit Spanhemius ſupra *cap.* 8. *pag.* 48. Et ego quidem magis inclino, ut credam, colonias haſce Latinas tantum, vel etiam Italicas factas fuiſſe; α) quia tanquam majus beneficium Dio præponit jus civitatis, quum coloniæ civium Romanorum in majori eſſent dignitate, quam municipia. β) Quia adhuc dubium eſt, num civium Romano-

rum

tum coloniæ in provinciis etiam fuerint, iis præſertim jam temporibus. γ) Quia Plinius Coloniarum quidem Latinarum & Italicarum in enumeratione ſingulorum Hiſpaniæ oppidorum mentionem facit, nuſquam vero coloniarum civium Romanorum. (2) Quicquid vero hujus ſit, ſi etiam vel maxime in hocce Dionis loco intelligendæ eſſent civium Romanorum coloniæ, cogitare tamen debuiſſet Spanhemius, a coloniis provincialibus non valere conſequentiam ad colonias in Italia, ante legem etiam Juliam: facile enim doctiſſimo viro largimur, civium quoque Romanorum in provinciis colonias, ſi quæ modo fuerint, non habuiſſe plenum civitatis Romanæ jus, eoſque jure inprimis ſuffragii (ut & municipia in provinciis) caruiſſe Quomodo vero exinde concludi poſſit, colonias in Italia ante legem Juliam non habuiſſe jus ſuffragii, ego quidem comprehendere nequeo (3) Porro, ſi locus quoque ipſe paullo accuratius conſideretur, deprehendimus ſtatim, Dionem per jus civitatis nihil aliud voluiſſe indicare, quam jus municipale, adeoque nullum alium hujus loci ſenſum eſſe, quam Cæſarem alia in Hiſpania oppida feciſſe municipia, alia vero colonias. Quis vero propterea neget, municipia per ſe, in Italia etiam, tam ante, quam poſt legem Juliam, differre a coloniis, quum utriuſque generis oppidorum jura ſemper diverſa plane & diſtincta permanſerint. Poterat enim oppidum aliquod jus civitatis Romanæ, ſine jure coloniæ, adquirere, & ſic fieri oppidum civium Romanorum, aut municipium: poterat etiam fieri colonia, & ſic adquirere generalia omnium coloniarum jura idque cum, vel ſine jure civitatis Romanæ. Plane ergo non video, quomodo ex hocce Dionis loco jura coloniarum civium Ro-

Romanorum determinari queant. 5) Addit etiam Spanhemius locum Dionysii Halicarnassei, qui *lib.* III. *pag.* 80. de Romanis dicit, eos ex devictis urbibus alias facere colonias Romanas, alias vero in ipſius civitatis communionem aſſumere. Sed hic pariter locus nihil aliud indicat, quam Romanos oppida quædam feciſſe municipia, in alia vero colonos deduxiſſe, & ſic ex illis feciſſe colonias: minime vero determinat diverſa municipiorum & coloniarum jura. Immo aperte omnis generis colonias ſub hiſce verbis comprehendit Dionyſius, adeoque non de ſolis civium Romanorum coloniis loquitur, de quibus tamen ſolis hic ſermo eſſe debet. 6. Denique Spanhemius in ſubſidium quoque adducit Plinium, quippe qui in deſcriptione provinciarum Romanarum ſeparatim numerat colonias, oppida civium Romanorum, ſive municipia, & oppida Latina: hinc per colonias intelligit ſolas civium Romanorum colonias vir hic doctiſſimus. Sed ego ſupra jam monui, Plinium ſine dubio ſub coloniarum denominatione comprehendere omnis generis & conditionis colonias. Neque enim exinde, quod ſeparatim oppidorum meminerit Latinorum, ſequitur, per colonias tantum intelligi civium Romanorum colonias: nam ibidem probavi, oppida Latina, ſive jure Latii, ſine jure coloniæ, donata, diverſa omnino fuiſſe ab ipſis Latinis coloniis. Quid ſi vero intelligerentur etiam ſolæ civium Romanorum coloniæ, quis propterea neget, eas differre a municipiis? Exinde tamen non ſequitur, colonias civium Romanorum habuiſſe tantum jura privata, non etiam publica, ut municipia. Accedit, quod jam antea monui, a coloniis in provinciis non valere conſequentiam ad colonias in Italia. Span-

Spanhemii ergo argumenta non impediunt, quo minus quis coloniis civium Romanorum ante legem Juliam in Italia jus ſuffragii quoque & honorum adjudicare poſſit. Neque tamen priora etiam argumenta, ut vidimus, probant, colonias hiſce juribus gaviſas fuiſſe: tota ergo hactenus res in dubio manet. Neque præterea *Sigonii* argumentum, quod nimirum nuſquam legatur, coloniarum incolas Romam ad ſuffragia ferenda profectos fuiſſe ante legem Juliam, rem conficere prorſus poteſt: ego enim hoc nuſquam quoque de municipibus ante legem Juliam diſertis apud veteres ſcriptores verbis legi, quum tamen conſtet, quosdam jus ſuffragii jam diu ante iſtam legem habuiſſe. Quid ſi quis etiam ſtatuere vellet, ante legem Juliam non unam eandemque omnium in Italia coloniarum fuiſſe hac in parte conditionem, ego non video, quomodo ille refutari poſſit. Sane ut municipia quædam fuerunt cum jure ſuffragii, quædam ſine iſto jure: ſic potuerunt etiam coloniæ quædam civium Romanorum habere jus ſuffragii, quædam illo deſtitui. Dependebat enim hoc a voluntate Romanorum, & a legibus, quibus colonia deducebatur. Sed ſatius eſt, ut tota hæc res in medio relinquatur, donec certiora aliquando eruantur monumenta, quæ dubium hocce tollere poſſunt. Poſt legem ſaltem Juliam certum utique & exploratum eſt; colonias non minus, quam municipia & præfecturas, aliaque Italiæ loca habuiſſe jus ſuffragii, quum & jure honorum gauderent illi ex Italiæ oppidis, qui Romæ domicilium ſuum collacarent. Neque etiam dubito, jam ante iſtam legem illos, qui ex coloniis civium Romanorum domicilium Romam transferre volebant, potuiſſe in urbe hono-

no-

Digitized by Google

nores petere ac gerere. Immo ne hoc quidem civibus Romanis provincialibus, ſive ex coloniis, ſive ex municipiis venirent, prohibitum fuiſſe puto. Aſt facile tamen Spanhemio aſſentior, quando *pag.* 55. jus ſuffragii colonis civium Romanorum in provinciis (ſi modo quædam fuerint) denegat, ſed idem etiam municipiis in provinciis eſt denegandum. Quod ad cætera vero publica civitatis jura, ut ſacrorum, (exceptis curialibus) militiæ, tributorum & vectigalium attinet: in iis coloniarum civium Romanorum incolas cæteris civibus Romanis, ut & in juribus privatis omnibus ſimiles prorſus fuiſſe exiſtimo. Neque tamen propterea nego, potuiſſe quaſdam præ aliis colonias, & ratione tributorum, & ratione militiæ, immunitatem quandam & vacationem habere: (Vid. e. g. Livius *lib.* XXVII. *cap.* 38.) ſed id ipſi juri tributorum & militiæ non nocet.

38. Ex hiſce, quæ hactenus diſputavi, ſimul patere quoque arbitror, quando de juribus coloniarum & municipiorum ſermo eſt, tunc probe eſſe diſtinguenda tempora ante legem Juliam, & poſt iſtam legem celeberrimam: nec minus probe diſtinguenda eſſe oppida civium Romanorum in Italia, ſive coloniæ, ſive municipia fuerint, ab iis, quæ in provinciis ſita ſunt. Qui enim hæc confundunt, in errores incidunt inextricabiles: cujus rei, præter *Harduinum*, quem Spanhemius abunde refutavit, inſigne nobis exemplum præbet *Marcellus Donatus*, in ſuis *Dilucidationibus* ad *Suetonium*, *pag.* 415. ſeqq. *Tom.* VI. *Theſauri critici Gruteri.* Is enim vir, alias haud ſane indoctus, non tantum confundit tempora ante legem Juliam, & poſt iſtam legem, neque ſecernit loca veterum pro diverſis temporibus: ſed

ſed colonias etiam civium Romanorum & Latinas, immo & Latinos colonarios & Junianos ſatis diſtinguere neſcivit; hinc in eas ipſe ſe deduxit anguſtias, ut Ciceronem, quando de jure ſuffragii coloniarum loquitur, oratorie tantum fuiſſe locutum, aut illas interdum hoc jus precario tantum obtinuiſſe, ut olim Latini, dicere neceſſe habuerit. Quæ omnia hodie in tanta eruditionis luce nullam amplius deſiderant refutationem. Recte quoque Spanhemius (*pag.* 53.) notat *Wilhelmum Goeſium*, quando ille exiſtimavit, Auguſtum coloniis demum jus ſuffragii dediſſe; recteque animadvertit, (*pag.* 56.) ab Auguſto novum tantum excogitatum fuiſſe modum, quo expeditiori longe ratione iſto ſuffragii jure uti poſſent coloniæ etiam remotiores. Quando vero idem vir doctiſſimus putat, hocce beneficium pertinuiſſe ad colonias tantum novas, ab ipſo Auguſto deductas, in eo recte viciſſim notatur a V. *Cel. Chriſtiano Gottlieb Schwartzio* in *Diſſertatione de Jure Italico*, *cap.* I. §. 6. qui amplectendam potius *Caſauboni* eſſe ſententiam docuit, hoc ſcilicet beneficium ad totam pertinuiſſe Italiam. Longius a vero verborum Suetonii ſenſu aberravit, vir, dum viveret, non magis dignitate, quam eruditione eminentiſſimus, *Henricus Noriſius* in *Cenotaph. Piſan. Diſſ.* I. *cap.* 3 *pag.* 52. *Tom.* III. *Opp.* dum locum iſtum, ita accepit, ac ſi ex Auguſti inſtituto Coloniæ Magiſtratuum ſuorum confirmationem a ſenatu Romano petere debuiſſent: hujus enim rei nullum apud veteres ſcriptores veſtigium occurrit, & Suetonius, ut ipſa verborum connexio ſatis declarat, non de ipſarum coloniarum magiſtratibus loquitur: ſed de magiſtratibus *urbicis*, id eſt ip-

ſius urbis Romæ. Cæterum doctiſſimus noſtri ſeculi criticus, B. *Petrus Burmannus* aliud adhuc dubium movet in *notis* ſuis ad hunc Suetonii locum, (in *vita* nempe *Auguſti*, *cap* 46.) *pag.* 332. *ſuæ editionis*, quod paucis hic quoque eſt tangendum. Quærit nimirum, num ſoli tantum Decuriones ſuffragii jus habuerint ex Auguſti inſtituto, an omnes potius iſtarum coloniarum incolæ. Burmannus putat, prius non eſſe probabile, quia ſic coloniæ iſtæ deterioris fuiſſent conditionis, quam aliæ, ex quibus viritim Romam ad ſuffragia ferenda proficiſcebantur. Sed hæc objectio ſua ſponte corruit, ſi ſtatuamus, novum hocce jus ad totam pertinuiſſe Italiam. Et ſane quum comitia longe aliam faciem induerent ſub Auguſto, non prorſus improbabile eſt, illum hoc tantum jus dediſſe Decurionibus, ut hi in ſuis quique municipiis & coloniis de magiſtratibus in urbe ſuffragia ferrent, illaque obſignata Romam mitterent. Neque tamen ſine omni etiam probabilitate eſt Burmanni opinio, qui ſtatuit, Decuriones, ſub ipſum comitiorum Romanorum tempus, in ſuis quique municipiis & coloniis, ſpeciem quoque comitiorum quandam habuiſſe, in quibus totus illius loci populus ſuffragium ferret: Decuriones vero colligiſſe tantum ſuffragia, illaque obſignata Romam miſiſſe, ut ibi tribuum ſuffragiis addita numerum etiam facere poſſent. Hinc vocem *Decuriones*, non ad verbum *ferrent*, ſed ad *mitterent* potius refert, illamque forſan tranſponendam eſſe exiſtimat. Ego de tota hac re judicium lectoribus relinquere quam proprium interponere malo: id tantum moneo, inſtitutum hocce Auguſti, licet beneficii ſpeciem præ ſe ferret, ad arcana tamen dominationis ſuo jure referri

ferri poſſe. Tantus enim coloniarum & municipiorum motus, qualis ſæpe tempore liberæ reipublicæ fuit, tranquillitati, ne dicam ſervituti, temporum illorum convenire amplius minime videbatur. Sed hæc obiter.

Jam inſtitutum noſtrum requirit, ut conſidere- 40.
mus quoque paullo accuratius, quid laudatiſſimus *Ezechiel Spanhemius* in præclaro opere ſuo, ſæpe a nobis adducto, *cap.* 12. de Municipiis diſſeruerit. Primaria de iis quæſtio eſt, num omnia omnino municipia, idque omnibus temporibus, propriis ſuis vixerint legibus, an interdum Romanas quoque leges accipere debuerint. *Carolus Sigonius de Antiquo jure Italiæ*, *lib.* II. c. 7. ſtatuit, municipia ſine jure ſuffragii proprias retinuiſſe leges; municipia vero cum jure ſuffragii Romanas quoque leges accipere debuiſſe. Enimvero hanc ſententiam cum verbis clariſſimis Gellii *Noct. Attic. lib.* XVI. *cap.* 13. *Municipes ergo ſunt cives Romani ex municipiis, legibus ſuis & ſuo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla populi Romani lege adſtricti, ni in quam populus eorum fundus factus eſt*; conſiſtere non poſſe, rectiſſime obſervavit doctiſſimus noſter Spanhemius, quem poſtea ſecutus eſt V. *Ampliſſimus Everhardus Otto* in libro *de Ædilibus Coloniarum & Municipiorum*, *cap.* 1. Operæ pretium erit, ut ipſa Spanhemii verba, licet ſatis prolixa, referamus, additis ſubinde noſtris obſervatiunculis. *De Municipiis enim*, inquit ille, *in genere*, *& quatenus a Coloniis ea differant*, *loquitur ibi* Gellius: *non vero de una tantum municipiorum Claſſe*, *uti cenſet* Sigonius, *quæ jus duntaxat*

puli Romani conſenſerant, ſive cujus legis auctores & ſubſcriptores iidem populi fuerant. [Recte Spanhemius: quando enim municipes in ſingularem aliquam legem fundi fierent, id eſt, eam ſponte ſuſciperent, non exinde intelligebantur, municipes illos totum ſimul jus civile Romanorum ſuſcepiſſe. Id tamen præterea adhuc notandum eſt, quando per legem aliquam municipiis, vel ſingulis, vel pluribus, jus civitatis Romanæ dabatur, tunc municipes illos in eam ipſam legem fundos fieri debuiſſe, ut patet ex CICERONE *Orat. pro Balbo*, *cap.* 8. ubi dicit, eos tantum jus civitatis ex lege Julia accepiſſe, qui in eam legem fundi facti ſunt: nunquam enim invitis jus civitatis apud Romanos obtrudi ſolebat. Hinc forſan Sigonius putavit, quando municipes fundi fierent in legem, qua jus civitatis acciperent, tunc illos eo ipſo jus quoque civile Romanum penitus ſuſcepiſſe. Sed hoc tantum locum habuiſſet, ſi id juris fuiſſet univerſalis, ut omnes illi, qui jus civitatis acciperent, ſimul quoque tenerentur omnes Romanorum leges ſuſcipere. Enimvero ex nullo veterum teſtimonio hoc probabit Sigonius, & ſic pertinuiſſet illud non minus ad municipia ſine ſuffragio, quibus tamen autonomiam concedit Sigonius, quam ad alia. Ex Gellio potius aliiſque diſcimus, jus civitatis Romanæ optime cum autonomia potuiſſe conſiſtere. Ex ſolo igitur jure civitatis accepto minime poterat colligi, totum quoque jus civile Romanorum ſimul fuiſſe ſuſceptum. Interim dicere tamen poſſumus, dum municipia ipſum jus civitatis acciperent, illa ſimul quoque ea accepiſſe jura, quæ neceſſariam cum ipſo jure civitatis haberent connexionem: qua de re in ſequentibus latius men-

R 3 tem

tem meam declarabo. Pergit Spanhemius, novum argumentum ſuppeditando, ita:] *Quod omnino etiam adſtruunt* TULLII, *ubi de hiſce populis fundis agit, eorumque conditionem deſcribit, conſona plane cum Gellio verba:* (in Orat. pro Balbo, *cap.* 8.) Sed totum hoc (*nempe populos fundos quod attinet*) in ea fuit poſitum ſemper ratione, atque ſententia, ut, quum juſſiſſet populus Romanus aliquid, ſi id adſciviſſent ſocii populi, ac Latini, & ſi ea lex, (*non omnes proinde populi Romani leges*) quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in fundo, reſediſſet, ut tum lege eadem is populus teneretur: *nempe, quod ait* GELLIUS, *adductis paullo ante verbis:* in quam legem populus eorum fundus factus eſt. *Quæque inſuper adſtruit allatum mox ibi a* TULLIO *de iiſdem Latinis, qui vel legem* C. Furii de Teſtamentis, *aut* Q. Voconii de mulierum hereditatibus, *aut aliam aliquam de jure civili a Romanis latam, aut vero etiam legem* Juliam, *qua civitas eſt ſociis & Latinis data, adſciverant, ſeu in eas fundi populi erant facti.* [Sed ad hoc argumentum potuiſſet reſpondere Sigonius, Ciceronem non loqui de Municipiis, ſed de ſociis, nec non de fœderatis & liberis populis; ſi illi ſpecialem aliquam legem ſuſcipiunt, non propterea omnes recepiſſe cenſendi ſunt: aſt aliam eſſe conditionem municipiorum; ſi illa jus civitatis Romanæ ipſum accipiunt, tunc leges quoque omnes Romanorum recepiſſe poſſunt intelligi. Enimvero, licet illud de legibus, quatenus neceſſariam cum ipſo jure civitatis habent connexionem, paullo ante conceſſerim: nihilominus tamen hoc de aliis quoque legibus non poteſt concedi, nam autonomiam cum ipſo civitatis jure bene conſiſtere potuiſſe, paul-

paullo ante monui. Et licet municipia non amplius eſſent oppida fœderata, pertinebant tamen ad oppida libera in ſenſu generali: tametſi non omnia oppida libera ſimul eſſent municipia: & eatenus argumentum ex loco Ciceronis allatum poteſt etiam ad municipia applicari. Pergit Spanhemius, aliud dubium removendo, ita:] *Neque etiam hanc omnibus municipiis neceſſitatem incubuiſſe, ut cum Romana civitate in Romanorum leges & jura, ſuis abdicatis, continuo venirent, infert*, (*ut exiſtimat* Sigonius) *id quod ibi a* Tullio *poſt factam legis hujus* Juliæ *mentionem, exemplum additur:* In quo magna contentia Heracleenſium & Neapolitanorum fuit, quum magna pars in iis civitatibus fœderis ſui libertatem civitate anteferrent. *Etſi enim non omnes quidem, uti cenſuit.* Valeſius, *at priores tamen* Ciceronis, *& juxta veterum librorum fidem adornatæ editiones*: fœderis ſui, *non vero* (*juxta* Bullialdum, *aut nuperam* Pariſienſem in uſum Delphini *editionem*) juris ſui libertatem, *hic habent: unde etiam ad eam ſolam conditionem ibi reſpici vere monuit contra eundem Bullialdum* Valeſius, *qua qui in civitatem Romanam tranſibant populi, fœderati amplius eſſe non poterant: ſed quibus tantum libertas fœderis adimebatur, non vero mutatio, aut amiſſio propriarum legum, & quidem poſt Romanas adſcitas, præſcripta.* [At ſi etiam legeretur in loco hocce Ciceronis: *juris ſui libertatem*: nihil tamen aliud indicari putarem, quam quod indicatur per *fœderis libertatem.* Non enim per *jus* ſemper indicantur leges, quæ ad controverſias privatorum pertinent: ſed ſæpenumero *jus* ad ipſum tantum ſtatum publicum ſpectat. Si ergo *jus* hoc ſenſu ſumatur, tunc nihil aliud ſignificarent verba Ciceronis quam quosdam in

iſtis populis maluiſſe permanere in ſtatu illo, in quo hactenus fuerant, publico, ſive maluiſſe illos ſui juris eſſe, neque quicquam cum jure civitatis Romanæ commune habere, ne propterea magis fierent obnoxii, quam hactenus tanquam fœderati fuerint populi, & ne quicquam in ſtatu earum civitatum civili mutaretur. Licet enim municipia non totum Romanorum jus civile ſuſcipere tenerentur, fuerunt tamen jura quædam, quæ cum ipſo civitatis jure tam neceſſario connexa erant, ut fieri adeo non potuerit, quin magna utique mutatio accideret in ipſo ſtatu oppidorum civili, ſi jus civitatis Romanæ ſuſciperent. Videntur enim omnino municipia magis obnoxia fuiſſe, quam aliæ liberæ & fœderatæ civitates. Ex quo jam apparet, ex hocce ſaltem loco, quomodocumque illum legas, non confirmari Sigonii ſententiam. Et eodem quoque modo nos facilius removebimus dubium illud, quod ex loco LIVII movetur, id quod nec Spanhemius, nec alii ſolvere potuerunt. Pergit enim ille hoc modo:] *Quamquam, de quo ibi ſilet* Valeſius, *neque negari illud poſſit, eam fuiſſe municipiorum aliquot conditionem, ut cum Romana civitate, Romanorum legibus, amiſſo proinde legum ſuarum arbitrio, iidem forent deinceps obſtricti. Id enim haud obſcure innuunt adducta jam a* Sigonio *ejus rei e* LIVIO *de Hernicis teſtimonia:* (lib. IX, cap. 43.) Hernicorum tribus populis Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt, quam civitatem, ſuæ leges redditæ, connubiumque inter ipſos, quod aliquandiu Hernicorum ſoli habuerunt, permiſſum. Anagninis, quique arma Romanis intulerant, civitas ſine ſuffragii latione data; concilia connubiaque adempta, & magiſtra-

ſtratibus, præterquam ſacrorum curatione, interdictum. *Dein ubi Æquos, Romanorum hoſtes, ita de hocce Romanorum facto differentes tradidit*: (*cap.* 45.) Tentationem ajebant eſſe, ut terrore incuſſo belli, Romanos ſe fieri paterentur: quod quantopere optandum foret, Hernicos docuiſſe, quum, quibus licuerit, ſuas leges Romanæ civitati præoptaverint; quibus legendi, quid mallent, copia non fuerit, pro pœna neceſſariam civitatem fore.

Hactenus Spanhemii ratiocinationem audivimus. 41. Hæc ſane duo Livii loca crucem fixerunt viris etiam doctiſſimis, & quum viderent, ſolam Sigonii diſtinctionem inter municipia cum, & ſine jure ſuffragii, rem non conficere poſſe, alias quoque excogitarunt diſtinctiones. Sic *Vir Ampliſſimus Everhardus Otto* in libro *de Ædilibus Colon. & Municip. cap.* I. diſtinguenda præterea eſſe tempora ante, & poſt legem Juliam exiſtimat. *Ac primitus quidem*, inquit, *municipia, quæ ſine ſuffragio, honoris cauſa, jus legionis* [melius forſan dixiſſet: jus civitatis] *acceperant, ſui juris arbitrium retinuiſſe videntur: ea vero, quæ cum ſuffragio optimum jus Quiritium erant adepta, Romanis vivere legibus oportebat. Deinde vero, quum lata lege Julia municipiorum jura per Latium, & ſub finem belli ſocialis, per Italiam exæquata eſſent, ſenſim mutata hæc conditio videtur, ut leges antiquiores conſervarent, & ni quæ ſcita populi Romani adoptaſſent, autonomia, ſive ſuarum legum arbitrio fruerentur.* Ab hac doctiſſimi Ottonis opinione non multum quoque abludit *Vir Cel. Carolus Andreas Dukerus* in *notis* ad priorem hunc, quo de agitur, Livii locum, *pag.* 1016. *tom.* II. *edit. Drakenb.* quippe qui pariter exiſti-

mat, libertatem illam legum ſuarum quoad omnia municipia incepiſſe demum poſt bellum ſociale: antea vero differentiam fuiſſe putat, inter illa municipia, quæ honoris tantum cauſa civitatem Romanam acceperunt, & inter illa, quæ jus iſtud neceſſario ad victoris arbitrium accipere debuerunt. Habet hæc, ultima præſertim ſententia, fateor, magnam probabilitatis ſpeciem: aſt quia nuſquam tamen in veteribus ſcriptoribus ullum harum diſtinctionum veſtigum apparet, ego in illa adquieſcere nequeo. GELLIUS ſane univerſaliter de omnibus omnino municipiis loquitur. Immo veteres mihi omnes de municipiis ſine diſtinctione ita loqui videntur, ut de oppidis, quæ legum ſuarum arbitrium haberent. Nuſquam præterea etiam legi, Romanos vel ipſum jus civitatis, vel jus ſaltem civile ſuum oppidis quibuſdam in pœnam obtruſiſſe, aut eos ullo unquam tempore oppidum aliquod in pœnam feciſſe municipium. Non enim ipſum tantum jus civitatis pro maximo habebant beneficio, ſed & illud Romanos tanquam beneficium aliquod permiſiſſe ſociis ac liberis civitatibus, ut pro ſuo arbitrio leges quaſdam Romanorum ſuſcipere potuerint, manifeſte indicat CICERO *Orat. pro Balbo*, *cap.* 8. Aſt ſi quibuſdam tamen oppidis aut populis in pœnam legum ſuarum arbitrium eriperent Romani, tunc non ſolebant, loco propriarum legum, cum iis vel ipſum civitatis jus, vel jus ſuum civile communicare: ſed ſolebant potius iſtis peculiares præſcribere leges, ſimulque magiſtratus præponere, qui ſecundum iſtas leges jus illis redderent: id quod & provinciis extra Italiam, & in ipſa Italia Præfecturis contigit. Leges vero a Romanis aliis præſcriptas, cum ipſo jure Romano-

norum civili non eſſe confundendas, priori capite jam monui. Neque tamen propterea Romani unquam fuerunt admodum difficiles, (immo antiquioribus forſan temporibus faciliores adhuc, quam poſterioribus) vel ipſis devictis populis aut oppidis legum ſuarum arbitrium concedere, ut ex toto illo præclaro opere Spanhemiano, ex quo ſuperiora excerpſi, abunde patet. Sed quid tandem faciemus cum loco illo Livii, qui ſolus nobis iſtas peperit difficultates: omnes enim fatentur, ſi iſte locus non obſtaret, ſe libenter fuiſſe credituros, municipia omnia liberum legum ſuarum arbitrium habuiſſe. Operæ pretium igitur omnino eſt, ut periculum faciamus, an hicce a nobis ſcrupulus commode removeri queat. Ut vero hoc quam commodiſſima ratione fiat: 1) ante omnia obſervandum eſt, non per omnem civitatis Romanæ communicationem ſtatim facta fuiſſe municipia. Poterat enim jus civitatis communicari cum hominibus, vel populis, ut ipſis exinde oppidis nulla accideret mutatio, ut jam plus ſimplici vice monui. Poterat jus quoque civitatis cum ipſis communicari oppidis, ut illa tamen exinde non fierent municipia proprie ſic dicta. Vocabulum enim municipii multos admiſiſſe ſignificationes, neque omnia civium Romanorum oppida propterea etiam municipia fuiſſe, niſi in ſenſu lato, infra pluribus demonſtrabo. 2) Hiſce poſitis, deinde etiam animadvertendum eſt, Livium in hoc loco prorſus non loqui de municipiis in ſenſu proprio, immo non tam de oppidis, quam de populis potius, vel nationibus. Totus enim Hernicorum populus in varias rurſus nationes dividebatur: ex quibus tres quieverant, cæteræ Romanis bellum intulerant,

&

& deviĉtæ deinde in deditionem venerant. Qui igitur ex hiſce populi quieverant, adeoque nullam merebantur pœnam, illis optionem ferebant Romani, utrum mallent cives Romani fieri, & in ipſius quoque juris civilis communionem venire; (juxta vulgarem hujus loci interpretationem) an propriis vivere legibus: quia ergo hoc præoptarunt, ſuæ illis redditæ ſunt leges. Cæteri vero Hernicorum populi jam erant dedititii, adeoque omne jam ſuarum legum arbitrium prorſus amiſerant: hinc Romani illis pro beneficio dabant jus civitatis, ſimulque illos in ipſius, ut putant, juris civilis communionem accipiebant: id quod ingens ſane erat beneficium: tanquam dedititii enim populi, ſine omni juris civitatis communione, legibus a Romanis præſcriptis uti debuiſſent. Oratorie ergo potius, non vero ſecundum veritatem, intelligenda ſunt verba Æquorum, apud LIVIUM *cap.* 45. hujus libri: *Quibus legendi, quid mallent, copia non fuerit, pro pœna neceſſariam civitatem fore.* Si enim maluiſſent Hernicorum iſti populi, ſine jure civitatis Romanæ, tanquam dedititii vivere, id illis ſine dubio conceſſiſſent Romani: qua vero fronte potuiſſent illi a Romanis victoribus petere, ut ipſis legum inſuper ſuarum arbitrium reſtituerent? 3) Si quis vero etiam putare vellet, LIVIUM, dum populos nominat, ipſa intellexiſſe oppida, in quibus habitabant illi, non tamen propterea dicit, oppida iſtorum, qui jus civitatis acceperunt, populorum, municipia quoque facta fuiſſe. Immo ex ſequentibus verbis: (*cap.* 43.) *concilia connubiaque ademta, & magiſtratibus, præterquam ſacrorum curatione, interdictum*: concludere potius debemus, oppida iſta non municipia, ſed præfecturas magis

magis factas fuiſſe. Hoc enim ad præfecturarum omnino naturam pertinet, ut nullum habeant publicum conſilium, nullos publicos populi conventus, non propriis legibus, nec propriis magiſtratibus uterentur. Ergo municipia ſaltem proprie ſic dicta facta non fuerunt iſta oppida, ut infra probabitur. Immo in hac etiam ſententia me præterea confirmat Festus, qui Anagniam expreſſe inter Præfecturas numerat. Iis vero, qui forſan putant, præfecturas, ante legem ſaltem Juliam, non habuiſſe jus civitatis Romanæ, infra ſatisfaciam. Quid ſi ergo dicamus, prioribus etiam populis, qui non rebellaverant, optionem ita oblatam fuiſſe a Romanis, ut oppida eorum vel cum jure civitatis fierent præfecturæ, vel ut manerent oppida libera ſine jure civitatis? Ego ſane non video, quid impediat, quo minus quis haud abſurde hanc amplecti poſſit ſententiam. Verba etiam illa Æquorum apud Livium *cap.* 45. quæ paullo ante attigi, ex hac hypotheſi commodum quodammodo ſenſum accipiunt, ut nempe in iis intelligatur jus civitatis conjunctum ſimul cum ſtatu præfecturarum: ſic enim jus civitatis aliquo modo pro pœna haberi poſſet. Quamvis enim ipſum jus Romanæ civitatis nunquam fuerit pœna: fuit tamen pœna omnino in ſtatum præfecturæ redigi: licet & hoc, intuitu dedititiorum, non tam pro pœna, quam pro beneficio potius haberi potuerit. 4) Porro ſi ipſa Livii verba (*cap.* 43.) paullo accuratius conſiderentur, deprehendemus, illum ne expreſſe quidem dicere, iſtos Hernicorum populos, qui in deditionem venerant, cum jure civitatis Romanæ omnibus ſimul legibus ſuis ſpoliatos fuiſſe: poſſet tamen hoc quodammodo ex ipſa verborum connexione col-

colligi, ſi modo recte ſe haberet vulgaris loci hujus interpretatio. Enimvero, quemadmodum priora etiam verba, ut mox oſtendam, alio modo intelligi poſſunt: ita dicendum potius eſt, hoſce quoque populos non omne legum ſuarum arbitrium per ipſam juris civitatis acceptionem; ſed per antecedentem magis deditionem amiſiſſe. Neque præterea Livius unquam dixit, devictis hiſce populis ipſum Romanorum jus civile fuiſſe obtruſum, quum potius, ſi in præfecturarum ſtatum oppida horum populorum redacta fuerunt, ut probabile eſt, legibus omnino a Romanis præſcriptis uti debuerint. 5) Interim, ſi hoc etiam accipiamus, oppida horum, qui rebellarunt, populorum in præfecturæ ſtatum fuiſſe redacta, fateor tamen libenter, non exinde ſequi, prioris generis Hernicorum populorum, qui in fide ſcilicet manſerunt, adeoque nullam meruerunt pœnam, oppida, ſi jus civitatis Romanæ accepiſſent, propterea in ſtatum quoque præfecturarum redigi debuiſſe, quandoquidem hoc ſemper pro pœna apud Romanos cenſebatur. Si quis igitur priora Livii verba (*cap.* 43.) ita etiam accipere vellet, populos illos fideles maluiſſe ſuis vivere legibus, quam municipes fieri, aut, quod idem eſt, pati, ut oppida ſua in municipiorum ſtatum redigerentur; ego tamen adhuc dicere poſſem, exinde minime ſequi, quod viri docti volunt, municipia omnem olim legum ſuarum libertatem amiſiſſe. Poſſunt enim leges in hoc Livii loco (ut & in altero *cap.* 45.) accipi, non de legibus ſtricte ſic dictis, ſive de jure civili Romanorum privato, ſed de legibus potius, ſive conditionibus fœderis, aut de ſtatu horum populorum publico. Erant enim Hernicorum populi antiqui Ro-

Romanorum fœderati, perinde ac Latini, ut ex variis DIONYSII HALICARNASSEI locis *libb.* VII. VIII. IX. apparet. Hocce fœdus ab iis quidem, qui rebellarunt fractum erat; ratione vero aliorum, qui cum iis conſilia non miſcuerant, ſalvum adhuc permanſerat, quibus proinde Romani optionem fecerunt, utrum mallent, ut fœdus antiquum cum iis renovaretur, an in communionem ipſius juris civitatis recipi potius vellent: non ut propterea omnes proprias leges ſuas amitterent, & totum Romanorum jus civile ſuſcipere tenerentur: ſed ut eatenus tantum in juris civilis communionem cum Romanis venirent, quatenus illud cum ipſo jure civitatis cohæreret. Hi igitur populi *prætoptarunt ſuas leges*, (*cap.* 45.) id eſt maluerunt in antiquo ſuo ſtatu publico, tanquam fœderati populi, manere, & ita plane ſui juris eſſe, quam civitatem Romanam accipere, & eatenus in juris quoque civilis communionem cum Romanis venire. Hinc *redditæ* illis a Romanis *ſuæ leges*, (*cap.* 43.) id eſt prioris fœderis conditiones cum iis renovatæ ſunt. Significant ergo in hocce loco verba: *ſuæ leges*, nihil aliud, quam in priori CICERONIS loco (quem ſupra ex *Orat. pro Balbo*, *cap.* 8. adduximus) verba: *fœderis*, ſive *juris ſui libertas*. Si hi igitur duo loci inter ſe comparantur, unus alteri egregiam fœnerari lucem poteſt, id quod viros doctos hactenus non obſervaſſe, jure mirandum eſt. Eodem etiam modo alius explicandus eſt locus LIVII *lib.* XXVI. *cap.* 24. *Jam inde a majoribus traditum morem Romanis colendi ſocios: ex quibus alios in civitatem, atque æquum ſecum jus* (civitatis ſcilicet, aut jus civile, quatenus cum ipſo civitatis jure neceſſario eſt connexum) *accepiſſent:*

alios

alios in ea fortuna haberent, *ut ſocii eſſe*, *quam cives mallent.* Huc etiam pertinet locus VELLEJI PATERCULI *lib.* I. *cap.* 14. qui pariter lucem, ex hiſce, quæ dixi, accipit: *Huic rei per idem tempus civitates propagatas*, [Mallem legere cum *Juſto Lipſio* in notis pag. 257. edit. Gruteri: *civitem propagatam*, Romanam ſcilicet: quicquid obloquatur *Joh. Henr. Boeclerus* in adjectis ſuæ editioni notis, pag. 86.] *auctumque Romanum nomen communione juris* (civitatis ſcilicet) *haud intempeſtive ſubtexturi videmur.* [Obiter monere debeo, *Virum Ampliſſimum Everhardum Ottonem* in libro *de Ædilibus Colon. & Municip. cap.* I. §. 3. *pag.* 18. non ſatis ad verborum connexionem attendiſſe, dum locum hunc ad colonias trahit, quum de municipiis tamen ſit intelligendus. Vult enim Vellejus ſignificare, ſe ſimul cum coloniis conditis enarrare quoque velle, quænam ſingulis temporibus civitates municipia facta fuerint.] Quocunque vero modo quis priorem LIVII locum, de quo in præſenti inprimis agitur, accipere velit, ex iis tamen, quæ hactenus dixi, ſatis jam apparere arbitror, *Sigonii* ſaltem ſententiam nullum in iſto reperire præſidium poſſe: Livius enim nuſquam ſignificavit, prioribus populis cum jure ſuffragii civitatem fuiſſe oblatam, immo de poſterioribus expreſſis dixit verbis, eos accepiſſe jus civitatis ſine ſuffragio, ut adeo hicce locus magis contra, quam pro Sigonio faciat. Sed quilibet etiam facile jam perſpicere poterit, cæteras, quæ a viris doctis afferuntur, diſtinctiones non magis ullum in hocce loco reperire præſidium: immo jam huncce utique locum non amplius obſtare, quo minus ſtatuere poſſimus, omnia prorſus municipia, proprie ſaltem ſic dicta, om-

omnibuſque temporibus, illud habuiſſe jus, quod illis ſine diſtinctione tribuit Gellius, ut propriis nimirum legibus ſuis vivere potuerint.

Ne tamen hoc latius, quam par eſt, exten- 42.
datur, non ſine ratione addidi, me id intelligi tantum velle de municipiis proprie ſic dictis: non enim præſtare audeo, omnia omnino civium Romanorum oppida habuiſſe quoque propriarum legum arbitrium. Nam, ut infra dicam, coloniæ etiam, præfecturæ, aliaque civium Romanorum oppida generali interdum municipiorum nomine comprehenduntur: de quibus tamen omnibus hoc dici propterea nequit: Gellium enim de ſolis tantum proprie ſic dictis municipiis locutum fuiſſe, ſatis ex ipſius loci connexione apparet. Operæ pretium igitur erit, ut ante omnia diverſas Municipiorum & Municipum ſignificationes paullo diligentius enucleemus, ut exinde quænam proprie oppida ita dicta fuerint, quænam vero proprio ſenſu ita dici haud potuerint, determinari queat. Sunt enim in municipiis probe diſcernenda eſſentialia & accidentalia, ut diverſæ tantum vocis ſignificationes diſtinguantur ab ipſis proprie ſic dictorum municipiorum diverſis generibus. *Spanhemius* in hac doctrina unice ad Festum, tanquam ad ſacram ancoram confugit. Dicit enim eodem, ex quo ſuperiora excerpſimus, loco: *Quæ inſuper lucem ex iis capiunt, quæ de haud una municipum claſſe vel conditione tradit iis verbis* Festus, *quorum genuinum ſenſum non videntur ſatis percepiſſe, qui ea cæteroquin haud ſemel adduxerunt viri doctiſſimi, & harum litterarum principes,* Manutius, Sigonius *aliique: tria enim ibi, non duo, ut vulgo iidem, municipum genera diſtinguit* Festus. Recte quidem Spanhemius locum illum non fuiſſe a viris

doctis intellectum dicit: aſt num ipſe illum rectius intellexerit, aliiſque clariorem reddiderit, id aliis dijudicandum relinquo. Mihi ſane, ut ingenue fateor, doctiſſimus iſte vir obſcurum explicaſſe videtur per æque obſcurum. Immo *Vir* quoque, dum viveret, *illuſtris*, *Joh. Gottlieb Heineccius* in *Append.* ad *lib.* I. *Synt.* *Antiqq.* § 122. etſi laudet Spanhemium, quod primus accurate locum hunc expoſuerit, videtur tamen, quod pace tantorum manium dictum ſit, neque Feſtum, neque Spanhemium ſatis intellexiſſe. Legant eruditi & Spanhemii, & Heineccii ſcripta, & conferant inter ſe, ſine præjudicio tamen auctoritatis, & ſpero, illos ipſos veritatem eorum, quæ dixi, eſſe deprehenſuros. Opto igitur, ut vir aliquis doctus locum hunc FESTI obſcurum in meliorem adhuc lucem ponere poſſit: nam ego quidem libenter fateor, me nondum verum hujus loci ſenſum aſſequi poſſe. Aſt volo tamen, ut alios ſaltem attentiores reddam, breviter indicare, quænam mihi cauſa potiſſimum obſcuritatis in hocce loco eſſe videatur. Primo quidem mirandum eſt, eruditos attendiſſe magis ad locum, qui exſtat ſub voce *Municipium*, quam ad alium, qui exſtat ſub voce *Municeps*, quum hic tamen ipſius ſit FESTI, & exſtet quoque in Schedis illis a *Fulvio Urſino* editis, *pag.* 80. *edit.* *Amſtelod.* prior vero tantum ſit PAULLI Epitomatoris, neque uſquam appareat in Fragmentis & ſchedis Feſti hodie ſuperſtitibus. Sciunt vero eruditi abunde, quam peſſime FESTUS a *Paullo* iſto habitus ſit, quod ſtatim vel exinde apparet, quod bonus ille Paullus diſtinguere neſciverit voces: *municipes* & *municipia*: quæ enim FESTUS ſine dubio dixerit de variis ſignificationibus vocis *mu-*

municipes, illa *Paullus* retulit ad vocem: *municipium.* Quomodo enim dicere potuiſſet Festus: *Municipium id genus hominum dicitur*: item: *uti municipia eſſent ſuæ cujuſque civitatis.* Nonne ſine omni dubio ipſum Festum hic ſcripſiſſe: *Municipes*, apparet? Aſt Paulli ætate hæc tamen vocabula, ut multa alia, confuſa ſunt. Sanior ergo eſt locus Festi ipſius voce: *Municeps*: ex quo tamen loco aperte quædam a Paullo in hunc, qui ſub voce: *Municipium* legitur, locum ſunt transfuſa. Quia tamen Paullus ille non dilatavit & auxit Feſtum, ſed potius in epitomen contraxit, neceſſe omnino eſt, ut vel Feſti ille locus olim Paulli ætate longe integrior exſtiterit, quam hodie in *Schedis* legitur; vel ut Feſtus duobus hac de re locis egerit, quorum alter hodie prorſus deſideretur, quique tamen a Paullo in unum ſint articulum contracti. Fortaſſis etiam Paullus ea, quæ Feſtus olim tam ſub voce *Municeps*, quam ſub voce *Municipium* habuit, imperite in unum contraxit articulum. Mihi enim totus ille Paulli locus male ex Feſto, quem non intellexit, confuſus eſſe videtur, ut adeo hodie nos incaſſum in hocce loco interpretando laboremus. Id tamen video, tam in Feſti, quam in Paulli loco, enarrari potius diverſas quaſdam vocis *Municeps* & *Municipes* ſignificationes, quæ partim propriæ, partim minus propriæ ſunt, quam ut in illis diverſa municipiorum, ſive proprie, ſive minus proprie ſic dictorum, genera diſtincte tradantur. Interim de hiſce tamen locis nos infra ſententiam quoque noſtram uberius proponemus, dummodo prius genuinam municipiorum proprie ſic dictorum notionem formaverimus.

43. Nullus eſt ſcriptor, qui nobis naturam & proprietatem Municipiorum proprie ſic dictorum melius deſcripſit, quam GELLIUS, loco jam ſæpe laudato, *Noct. Attic. lib.* XVI. *cap.* 13. Ex quo ſequentem Municipiorum definitionem conſtruxit *Vir Ampliſſimus Everhardus Otto* in libro *de Ædilibus Colon. & Municip. cap.* I. §. 2. *Municipia erant civitates a populo Romano in munerum, id eſt officiornm civilium ſocietatem receptæ, quæ ſeparatam a Romanis rempublicam habebant.* Sed, quod pace tanti viri (qui ICtorum hodie viventium facile princeps eſt) dictum ſit, hæc mihi definitio naturam municipiorum non exhaurire videtur, neque per eam municipia ab aliis civium Romanorum oppidis ſatis diſtinguuntur. Omnia enim civium Romanorum oppida munerum publicorum ſocietatem cum civibus in ipſa urbe Roma habebant, omnia etiam ſeparatam quodammodo habebant rempublicam. Ego igitur omnibus probe conſideratis municipia ita potius definire volo: Municipia ſunt oppida, jure civitatis Romanæ donata, & ſic cum omnibus civibus ſuis in communionem juris civitatis & munerum publicorum recepta, ut propriis tamen legibus ſuis, proprio publico conſilio, propriis magiſtratibus, propriis denique ſacris uterentur. Dico Municipia 1) eſſe oppida: minora enim loca, veluti caſtra, vici, pagi, fora, conciliabula, honorabili illa municipiorum denominatione non ornabantur, licet incolæ eſſent cives Romani. Non vero illa *urbes* vocavi, quia non conſtat, omnia ritu iſto Hetruſco, quo ſolo urbes proprie ſic dictæ fierent, ut primo capite expoſui, fuiſſe exſtructa. Colonias quidem Romanas omnes urbes vocatas fuiſſe dicit VARRO loco ibi laudato,

quia

quia Romani omnes iſto ritu condere ſolebant: aſt de municipiis ſilet ibi Varro: ergo oppida ea dicere malui. Dico vero 2) eſſe oppida jure civitatis Romanæ donata. Non ergo ſufficit, ut incolæ tantum in aliquo oppido cives ſint Romani: ſed ipſum neceſſario oppidum cum omnibus civibus ſuis per univerſitatem jure civitatis Romanæ donari, & ſic in Municipium erigi debuit. Prioribus enim jam capitibus plus ſimplici vice docui, multum intereſſe, utrum homines tantum jure civitatis Romanæ donarentur, ſine ullo loci reſpectu, an vero ipſum ſimul oppidum jure civitatis donaretur. Nam hoc demum caſu ipſum oppidum fiebat oppidum civium Romanorum, & hinc omnes quoque cives illius oppidi erant cives Romani, non tantum illi cum poſteris ſuis, qui eo tempore vivebant, ſed omnes etiam illi, qui in tali poſtea oppido in civium numerum jure recipiebantur. Ipſum præterea ſolum, vel territorium iſtius oppidi juris quoque civilis fiebat particeps, adeoque jus Italicum accipiebat. Addidi tamen: *& ſic in municipium erigi*: quia non omnia civium Romanorum oppida ſtatim ſimul erant municipia proprie ſic dicta, ſed ſenſu tantum generali. Requirebatur ergo adhuc, ut ipſum quoque oppidum cum jure civitatis in municipii ſimul ſtatum erigeretur: id quod fiebat, ſi & ſequentia omnia aderant requiſita, quæ mox enarrabo, quando ſequentia prius verba, quæ adhuc ad oppida civium Romanorum in genere pertinent, explicavero. Dico enim: 3) *& ſic cum omnibus civibus ſuis in communionem juris civitatis & munerum publicorum recepta.* Requiritur ergo α) ut ipſum oppidum in communionem juris civitatis recipiatur, non tantum homines in iſto

oppido. Ex hac enim ipſius oppidi receptione in communionem juris civitatis ſequebatur, (ut pariter in antecedentibus jam docui) omnia quoque prædia, quæ ad iſtud oppidum pertinebant, jure civili ſimul fuiſſe donata. Prædia vero in quibus jus civile locum habebat, quæque adeo in legitimo ſecundum jus civile dominio eſſe poterant, juris erant Italici: ſequitur ergo, omnia municipia, immo omnia civium Romanorum oppida, (quemadmodum id de coloniis civium Romanorum jam ſupra probavi) fuiſſe etiam quoad ſolum juris Italici, ubicunque eſſent ſita. β) Ut ipſum oppidum, cum omnibus ſimul civibus ſuis, in communionem juris civitatis recipiatur. Dico vero cum *civibus*, non cum *incolis*: explorati enim juris eſt, incolas omnes non eſſe municipes. Per ſolam enim habitationem non adquirebatur jus municipale: ergo per ſolam etiam in municipio aliquo habitationem nemo adquirere poterat jus civitatis Romanæ, quum ne quidem per ſolam in ipſa urbe Roma habitationem jus civitatis Romanæ adquiri potuerit. Qui vero in aliquo municipio juſto & legitimo modo in civium, ſive municipum numerum recipiebantur, illi ſimul quoque fiebant cives Romani, ut paullo ante indicavi. γ) Neceſſe etiam eſt, ut ipſius juris civitatis communicatio facta fuerit: hinc non ſufficiebat, ſi una modo alterave juris civitatis ſpecies fuiſſet communicata, non vero ipſum jus civitatis Romanæ. Nam & coloniæ aliaque oppida Latini juris ſpecies quaſdam juris civitatis habebant, non vero propterea ipſo civitatis jure fruebantur. Sic e contrario Sylla, quum oppidis quibuſdam ipſum eripere vellet jus civitatis, reliquit tamen illis jus dominii legiti-

mi

mi & hereditatum, teſte Cicerone *Orat. pro Cæcinna*, *cap.* 35. δ) Non vero propterea requirebatur, ut oppidum civium Romanorum omnia haberet jura civitatis Romanæ: ſed ſufficiebat, ſi modo iſtis gauderet prærogativis, quæ ad jus civitatis Romanæ prorſus erant neceſſariæ, quales illæ, ut priori capite docui, erant, quæ ad ſtatum privatum pertinebant, excepto adhuc connubii jure, quo non omnia ſemper civium Romanorum oppida inter ſe utebantur. ε) Requirebatur deinde communio ipſius tantum juris civitatis, non vero totius juris civilis, ita, ut oppidum iſtud, ſuis relictis legibus, omnes Romanorum leges recipere teneretur. Hoc non poſtularunt Romani: ſed autonomia, ut jam ſupra dixi, cum ipſo civitatis Romanæ jure optime conſiſtere poterat, niſi oppidum ejus eſſet conditionis, ut legibus a Romanis præſcriptis uti debuerit: ſed hoc ex ipſa oppidorum civium Romanorum natura, de qua nunc ſermo eſt, non veniebat. ζ) Porro requirebatur etiam communio munerum publicorum, quippe quæ omnino ex ipſa juris civitatis communione ſequebatur. Qui enim juris civitatis, illi etiam munerum publicorum erant participes. Et ab hacce quidem munerum publicorum communione & *municipia*, & *municipes* nomen etiam accepiſſe videntur, ut præter Gellium *l. c.* indicat Varro *de lingua Latina*, *lib.* IV. *pag.* 42. *A munere etiam municipes*, *qui una munus fungi debent*, dicti. Adde L. 1. §. 1. D *ad municipal.* & L. 18. D. *de* V. S. Ex qua tamen lege neſcio quomodo B. *Joh. Gottlieb. Heineccius* in *App.* ad *lib.* I. *Synt. Antiqq.* §. 120. concludere potuerit, hoc de militaribus præcipue mnneribus eſſe intelligendum,

quum ipſa tamen lex dicat: *Igitur municipes dicti, quod munera civilia capiant.* Civilia tamen munera hic ſine dubio in ſenſu lato ſumuntur, ut militaria non excludantur: ſed id tantum moneo, ne quis doctiſſimi Heineccii auctoritate deceptus de ſolis hoc militaribus muneribus accipiat: omnino enim civilia etiam munera, veluti tutelæ, aliaque intelliguntur. Non vero cives, incolæ oppidorum civium Romanorum, magiſtratus quoque Romæ capere poterant, aut in ſenatum venire, niſi prius domicilium Romæ collocarent. 3) Requiritur denique *receptio*, quo nempe verbo oppida civium Romanorum illa, quæ extrinſecus in civitatem recipiebantur, diſtinguuntur a coloniis, quæ ex ipſa civitate ſunt propagatæ, ut loquitur GELLIUS. Hiſce explicatis, jam ea in definitione addo requiſita, quæ municipia proprie ſic dicta conſtituunt, eaque ab omnibus aliis civium Romanorum oppidis ſeparant. Dico enim: 4) *ut tamen propriis ſuis legibus, proprio publico conſilio, propriis magiſtratibus, propriis denique ſacris uterentur.* Hæc quatuor requiſita omnibus quidem liberis & fœderatis civitatibus conveniunt: aſt oppida tamen libera & fœderata non erant in communione civitatis Romanæ, & hinc per ea, quæ antea in definitione poſui, ſatis a municipiis diſtinguuntur; quando vero iſta in communionem civitatis quoque Romanæ recipiebantur, ſalvo in cæteris ſtatu ſuo, tunc ſtatim ex oppidis liberis & fœderatis fiebant municipia. Contra alia civium Romanorum oppida non omnia iſta habebant requiſita, ſed vel quibuſdam, vel omnibus deſtituebantur, & hinc in ſenſu proprio Municipia quoque dici haud poterant; quando vero & hæc in ſtatum municipii redi-

redigebantur, tunc ut tria quoque iſta jura acciperent neceſſe erat. Hæc quatuor itaque requiſita, cum prioribus, quæ hactenus expoſui, ſimul ſumta, ideam municipii proprie ſic dicti penitus abſolvunt. Hinc de ſingulis jam pauca erunt dicenda, excepto jure ſacrorum, de quo infra ſub diverſis potius municipiorum generibus agam. Requiritur ergo: α) ut habeant publicum aliquod, conſilium, ſive ſpeciem aliquam ſenatus, qui in municipiis, ut & in coloniis, proprie dicebatur Ordo Decurionum. Tale quidem publicum conſilium non tantum in municipiis & coloniis reperiebatur: ſed in plurimis etiam aliis, quæ alicujus erant momenti, oppidis in toto imperio Romano, adeoque etiam in provincialibus, ut nemini, qui modo Ciceronis, aut Plinii ſcripta legit, ignotum eſſe poteſt: neque oppidum facile quoddam illo prorſus ſpoliari ſolebat, niſi in pœnam, id quod præfecturis imprimis contigiſſe, infra videbimus. Facile tamen credo, in municipiis, coloniis, oppidis liberis & fœderatis ordinem illum non majori modo dignitate, ſed & poteſtate gaviſum fuiſſe, quam in oppidis provincialibus. β) Ut porro proprios ſuos habeant magiſtratus, a quibus immediate regebantur, licet mediate magiſtratibus etiam urbanis in Italia, & provincialibus præterea in provinciis ſubeſſent. Hoſce proprios magiſtratus habebant, præter municipia, coloniæ etiam, cujuscumque juris, nec non oppida Latina, itemque oppida libera & fœderata: non vero præfecturæ & oppida provincialia. Licet enim in præfecturis quoque & oppidis provincialibus ſpecies magiſtratuum quaſdam deprehendamus, v. g. Ædilium, Cenſitorum: eos tamen magiſtratus vix vocare

audeo, ſed potius pro officis tantum civilibus, adminiſtrationibus, vel curationibus habeo. γ) Ut denique proprias ſuas habeant leges, non a Romanis præſcriptas, aut ex neceſſitate acceptas. Quoniam vero hæc præcipua eſt nota characteriſtica municipiorum, hinc de illa paullo diligentius quoque eſt agendum. Per autonomiam enim municipia propria ſic dicta ab omnibus aliis civium Romanorum oppidis, veluti coloniis, præfecturis aliiſque optime diſtinguuntur: & licet eam communem haberent cum oppidis liberis & fœderatis, ab hiſce tamen per juris civitatis Romanæ communionem facile diſtingui poſſunt: ut ſileam, ipſam quoque municipiorum autonomiam alterius plane naturæ eſſe, ac eam, qua oppida libera ac fœderata gauderent, ut ex ſequentibus cuivis haud difficulter apparebit. Hanc vero autonomiam ita propriam omnibus fuiſſe municipiis, ut iſta ſublata, oppidum deſinat eſſe municipium proprie ſic dictum, & non amplius ita, niſi in ſenſu lato & improprio, appellari queat, conſtanter affirmamus, & ex loco præcipue illo GELLII claſſico demonſtramus. Concedimus quidem facile, fuiſſe quædam civium Romanorum oppida, quæ non propriis utebantur legibus: non vero concedimus fuiſſe municipia proprie ſic dicta ſine autonomia.

44. Ut vero iſta, quæ municipiis competebat, autonomia eo rectius intelligatur, & juſtis quoque circumſcribatur limitibus, breviter repetendum eſt id, quod jam plus ſimplici vice monui, juris nimirum vocabulum vel de attributo perſonæ, vel de lege, ſive potius complexu legum ſumi, & in utraque ſignificatione illud eſſe vel publicum, vel privatum. Porro, quando jus ſumitur de

ipſo

ipſo jure civili, ſive de legibus Romanis, tunc illud intelligendum eſſe vel de legibus a Romanis aliis præſcriptis, vel de ipſis illis, quibus cives in urbe agroque potiſſimum Romano utebantur, legibus, pariter jam ſupra monui: ubi tamen illud adhuc notari volo, Romanos in præſcribendis aliis legibus, ſive toti alicui populo, integræve provinciæ, ſive ſingularibus tantum oppidis leges præſcriberent, jus ſuum ut plurimum civile ſecutos fuiſſe, ita tamen, ut oculos ſimul ad ſtatum eorum, quibus leges præſcribebantur, dirigerent: & per hanc potiſſimum, inter alias, rationem factum fuit, ut juris aliqua uniformitas in magno illo imperio Romano ſenſim magis magisque fuerit introducta. Legibus a Romanis præſcriptis uti ex neceſſitate ſimul & in pœnam debebant devicti & dedititii. Hinc integris regionibus, ſive provinciis, Romani leges præſcribere ſolebant: hinc in Italia etiam oppidis, quæ in pœnam in præfecturæ formam redigebantur, leges præſcribebantur. Ex ſola vero neceſſitate leges præſcribere coloniis conſueverunt Romani. Coloniæ enim illæ, quæ a Romanis deducebantur, ut ſupra monui, non erant liberæ, ſed manebant imperio illorum ſubjectæ: hinc quoque non conveniebat, ut Romani illis jus proprias ſibi leges conſtituendi permitterent: ſed per ſenatum potius Romanum, & per magiſtratus, qui coloniam deducebant, leges novæ Coloniæ, cujuſcunque eſſet conditionis, præſcribebantur, quibus deinceps neceſſario uti debebant. Non vero dubitandum eſt, quin iſtæ coloniarum leges, civium præcipue Romanorum, ad exemplar ipſarum legum Romanarum fuerint conſcriptæ, quum & in legibus provinciis præſcribendis, ut paullo

paullo ante dixi, Romani leges præcipue ſuas ſequi ſolerent, & alias quoque coloniæ, liberæ etiam, ut plurimum leges & inſtituta metropoleos ſuæ ſequi conſueverint. Non tamen ideo putandum eſt, leges coloniarum in omnibus conveniſſe cum legibus, quibus cives in urbe agroque Romano utebantur: hoc enim fieri nullo modo poterat. Coloniarum enim ſtatus, earum præcipue, quæ jus civitatis Romanæ non habebant, non in omnibus conveniebat cum ſtatu ipſius urbis Romæ: immo & omnium coloniarum ſtatus non erat unus idemque: & hinc unicuique etiam coloniæ proprias ſuas præſcribebant leges Romani. Secundum hæc ergo, quæ hactenus dixi, interpretanda ſunt verba GELLII, quando ille loco laudato de coloniis dicit: *Et jura inſtitutaque omnia populi Romani, non ſui arbitrii habent:* quæ proinde non de ſolis civium Romanorum coloniis, (ut exiſtimaſſe videtur B. *Spanhemius* in *Orbe Romano*, *Exerc.* I. *cap.* 15. *pag.* 90.) ſed de omnibus prorſus coloniis ſunt intelligenda: verba enim: *jura inſtitutaque* non pertinent ad jus civitatis ipſum, ſed ad leges potius a Romanis præſcriptas. Eſt tamen conſiderandus adhuc paullo accuratius locus notabilis LIVII *lib.* IX. *cap.* 20. *Et poſtquam res Capuæ ſtabilitas Romana diſciplina fama per ſocias vulgavit, Antiatibus quoque, qui ſe ſine legibus certis, ſine magiſtratibus agere querebantur, dati ab ſenatu ad jura ſtabilienda ipſius coloniæ patroni: nec arma modo, ſed jura etiam Romana late pollebant.* Antium eſſe coloniam, non ex ipſo tantum hocce loco, ſed etiam ex alio LIVII *lib.* VIII. *cap.* 14. apparet: & nihilominus tamen Antiates hoc loco queruntur, ſe ſine legibus certis, ſine magiſtratibus agere

agere: eſt ergo utique videndum, quomodo hic locus cum iis, quæ antea dixi, ſit conciliandus. Eſtne forte ſtatuendum, Romanos non ſemper proprias .coloniis leges præſcripſiſſe, ſed illos interdum quoque colonias ſuo permiſiſſe arbitro? Hoc quidem vix eſt credendum, & hic tamen locus illud non tantum perſuadere, ſed demonſtrare penitus videtur. Mallem quidem hac de re aliorum audire, quam proprium interponere judicium: interim libere tamen dicam, quid ſentio. Ex collatione duorum locorum Livii (*nimirum lib.* VIII. *cap.* 14. & *lib.* IX. *cap.* 20.) paullo accuratiori, colligi poſſe mihi videtur, in ultimo loco non ſermonem eſſe de Antiatibus colonis, ſed de ipſis potius veteribus Antii incolis. Quum videlicet Antiates rebellaſſent, & a Romanis eſſent devicti, non videbatur conſultum, ipſum oppidum Antium, propter opportunum ſitum veteribus relinquere incolis. Hinc Antiatibus jus quidem civitatis ſuæ donarunt Romani: ſed totum tamen populum a mari longius removerunt, ut diſerte narrat Livius *lib.* VIII. *cap.* 14. Hinc veteres Antii incolæ in locis mediterraneis domicilium neceſſario collocare debuerunt, qui nihilominus poſtea quoque Antiates vocati ſunt. In ipſum vero oppidum, Antium, miſerunt coloniam Romani, & quia fortaſſis non aderat ſufficiens colonorum numerus, veteribus etiam Antiatibus permiſerunt, ut quidam ex iis coloni adſcriberentur. Hoc igitur modo veteres Antiates (exceptis iis, qui coloni adſcripti erant) diſtincti prorſus manſerunt a novis Antiatibus colonis. Coloni ſine dubio a ſenatu Romano & deductoribus ſuis leges ſtatim acceperunt. Sed veteres Antiates, qui ipſum

novis

novis colonis oppidum concedere debuerunt, & nunc fortaſſis diſperſi, ſine certis ſaltem legibus & magiſtratibus, vivebant, ut LIVIUS *lib.* IX. *cap.* 20. loquitur: (quamvis enim civitate Romana eſſent donati, ſuo tamen in cæteris arbitrio ſine dubio erant permiſſi) hi inquam veteres Antiates a Romanis petere leges, quam ipſi ſibi conſtituere malebant. Hocce ergo negotium coloniæ patronis fuit permiſſum a Senatu Romano: ex quo tamen minime eſt concludendum, patronos hoſce coloniæ magis, quam veteribus Antiatibus jura dediſſe. Si ita hic locus intelligatur, nullum exinde dubium naſci poteſt contra illa, quæ ſupra tradidi, & firmis etiam per ſe fundamentis nituntur. Licet vero novis ſemper coloniis ab ipſis Romanis jura conſtituerentur, negari tamen propterea nequit, potuiſſe deinde in ipſa colonia jam conſtituta ab ordine Decurionum & populo, in caſibus nondum determinatis, nova quoque jura conſtitui: id quod forſan indicare voluit SERVIUS, dum verba VIRGILII *Æneid. lib.* V. *v.* 758. ***Patribus dat jura vocatis***, ita explicat: ***Dat condendi juris poteſtatem his, quos appellaverat patres.*** [Conf. *Marci Velſeri Rerum Auguſto-Vindelic. lib.* V. *pag.* 266. *Tom.* I. *Opp.*) Videntur etiam magiſtratus in coloniis facultatem Edicta proponendi habuiſſe: (Vid. CICERO *Agrar. Orat.* II. *cap.* 34) id quod ideo non tam ſimpliciter negare debuiſſet ***Vir Ampliſſimus Everhardus Otto*** in libro ***de Ædilibus Colon. & Municip. cap.*** 12. §. 3. Præterea inficiari quoque nolo, quando urbs quædam, quæ ſuis hactenus legibus vixit, honoris cauſa jus coloniæ impetrabat, tunc potuiſſe illi ſimul ſuarum legum arbitrium relinqui: cujus rei exemplum ex PAU-

SANIA

ſania *lib.* VIII. *pag.* 432. annotavit *Ezechiel Spanhemius in Orbe Rom. Exerc.* II. *cap.* 12. *pag.* 243. *ſeq.* id quod tamen ordinarie factum non fuiſſe ex Gellii loco ſupra laudato colligi poteſt. Hæc obiter de legibus Coloniarum inſpergere volui, ut eo melius differentia hac in re inter Colonias & Municipia in oculos incurrat.

Jam ad municipia, de quibus nobis ſermo eſt, 45. redeo. In hiſce ſane nulla aderat cauſa, cur Romani illis leges præſcriberent. Veniebant enim extrinſecus in civitatem, & ſuis nitebantur radicibus, ut loquitur Gellius: ergo jam proprias ſuas habebant leges. Donabantur a Romanis jure civitatis, plerumque ob aliquod meritum: cur ergo illa propterea legibus ſuis ſpoliare debuiſſent? Quum præſertim Romani frequenter, etiam in provinciis, oppidis quibusdam, ſine jure quoque civitatis, autonomiam concedere ſolerent. Enimvero poſſet tamen aliquis cogitare, Romanos fortaſſe per ipſum civitatis jus totum quoque jus civile cum municipiis communicaſſe. Sed omnes tenebræ, quæ hic ſe offerre poſſunt, facile diſpelluntur, ſi modo, ut dixi, diverſa juris civilis ſignificatio paullo acccuratius eruatur. Si jus ſumatur pro attributo perſonarum, tunc verum utique eſt, Romanos municipia in communionem juris civilis aſſumſiſſe, ſive privati tantum, ſive etiam publici. Nimirum quando oppidum aliquod civitate Romana donabatur, tunc cives illius omnium jurium civitatis & Quiritium fiebant participes, & pro diverſa quidem conditione, vel privatorum tantum, vel etiam quorundam publicorum, qua de diverſitate infra latus dicam: immo ipſum quoque ſolum, ſive territorium iſtius oppidi, ut ſupra monui, juris ci-

Digitized by Google

vilis particeps fiebat: & ita *communio juris* eſt intelligenda apud VELLEJUM PATERCULUM *lib.* I. *cap.* 14. & *æquum jus* apud LIVIUM *lib.* XXVI. *cap.* 24. quæ loca ſupra jam illuſtravi. Si vero jus ſumatur pro ipſis Romanorum legibus, quibus cives Romani utebantur, tunc cum diſtinctione quadam loquendum eſt. Nimirum, ut notum eſt, leges pertinebant vel ad jus publicum, vel ad jus privatum. Leges Romanorum, quæ ad jus publicum pertinent, non tantum ſunt illæ, quæ ad ipſam formam & ſtatum reipublicæ publicum immediate ſpectant, quæque adeo ab omnibus in imperio Romano obſervari debebant: ſed & illæ huc referri ſolent, quibus ſingularia civium Romanorum jura confirmabantur & determinabantur, v. g. leges de provocatione aliæque. Hinc de omnibus juribus civium Romanorum ſingularibus, etiam privatis, v. g. teſtamenti factione, tutela, aliiſque, dici ſolet, quod ex jure publico competant. Hujusmodi ergo generis leges omni ſine dubio ad municipia etiam pertinebant. Præterea vero leges quoque de criminibus publicis, deque quæſtionibus, ad jus publicum referri conſueverunt: hasce autem leges ad omnes pariter cives Romanos, adeoque etiam ad municipes pertinuiſſe, facile eſt ad intelligendum. Leges Romanorum, quæ ad jus privatum ſpectant, proprie illæ tantum vocabantur quibus controverſiæ privatorum in negotiis privatis dijudicabantur & determinabantur. Hisce legibus non obligata erant municipia, niſi quatenus illæ neceſſariam cum ipſo jure civitatis haberent connexionem: in cæteris vero privatorum lites in municipiis ſecundum proprias leges municipales dirimebantur. Interim ſiquis jura civitatis

vitatis Romanæ paullo accuratius contemplari velit, facile deprehendet, per ipſam horum jurium acceptionem non potuiſſe non magnam in municipiis contingere mutationem, ut adeo longe liberior adhuc oppidorum liberorum & fœderatorum hac in parte conditio fuerit. Sic, ut hoc ſpecialius declarem, per ipſum jus libertatis civilis magiſtratibus ſane in municipiis facultas fuit erepta in municipes ſuos virgis verberibusque, multo magis ergo ultimo ſupplicio animadvertere. Erant enim municipes cives Romani, & hinc civium quoque juribus ex legibus Valeriis, Portiis, Semproniis gaudebant. Non igitur de capite eorum judicari poterat, niſi a populo Romano, aut iis, qui a populo quæſtionibus præfecti erant. Hinc ſæpe legimus magiſtratus Romanos Senatusconſulto & populi juſſu quæſtiones in municipiis Italiæ exercuiſſe: in provinciis vero quæſtiones ad Præſides etiam mero imperio inſtructos, Imperatorum ſaltem tempore, pertinebant. In oppidis vero liberis & fœderatis major ſine dubio poteſtas fuit propriorum magiſtratuum in incolas, qui hisce ſcilicet juribus deſtituebantur. Sic etiam per jura gentilitatis atque agnationis, patriæ poteſtatis, connubii, dominii legitimi, (ex quo ſpeciales etiam modi civiles adquirendi dominium fluunt) teſtamentorum, hereditatum, tutelarum, magnam admodum in juribus municipalibus mutationem contingere potuiſſe, facile quilibet perſpiciet. Non tamen propterea nego, potuiſſe in hiſce rebus etiam omnibus locum adhuc habere ſpeciales leges & conſuetudines municipales, dummodo ipſis civitatis Romanæ juribus non adverſarentur. Sic poterant v. g. in municipiis ſpeciales obſervari ſo-

lennitates in nuptiis, in teſtamentis, (L. 9. C. *de teſtam.*) in dominii tranſlatione: poterant ſpeciales leges eſſe de hereditatibus, de tutelis & curatelis, de termino pubertatis & majorennitatis, aliæque innumeræ. Sic in omnibus privatorum controverſiis, quatenus nullam cum ipſo civitatis Romanæ jure connexionem habebant, proprii municipiorum magiſtratus non niſi ſecundum proprias municipales leges judicabant. Sicuti enim ipſum jus civitatis, ita etiam jus civile Romanorum nemini invito obtrudebatur. Neque etiam illi, qui jus civitatis Romanæ accipiebant, propterea neceſſe habebant, ut totum acciperent jus civile Romanorum. Dum enim oppida libera jus civitatis Romanæ accipiebant, & ita in municipii ſtatum redigebantur, fundi tantum eo ipſo fiebant in eas leges, quæ ipſum jus civitatis complectebantur, quæque cum illo neceſſariam habebant connexionem: non vero in cæteras leges Romanas: ſed in cæteris potius rebus liberum legum ſuarum arbitrium retinebant. Alio quidem modo res comparata eſt cum populis oppidiſque devictis & in deditionem acceptis: illis enim, licet interdum civitate donarentur, ſæpius tamen nihilominus leges præſcribi, & magiſtratus etiam præponi ſolebant: aſt talia oppida nemo pro municipiis proprie ſic dictis habebit. Si oppidorum tamen liberorum & fœderatorum ſtatum cum ſtatu municipiorum conferamus, facile ex iis, quæ hactenus diſputavi, concludi poſſe arbitror, priora poſterioribus in autonomia fuiſſe potiora: aſt hanc prærogativam ingens ſane civitatis Romanæ beneficium facile rurſus compenſare poterat. Quia tamen ſic acceptio juris civitatis quodammodo pro imminutione

tione quadam propriarum legum haberi poterat: (licet ipſa autonomia non periret) hinc intelligitur cur quidam juris ſui paulo tenaciores maluerint fœderati & liberi eſſe, quam cives Romani. Hoc igitur etiam ſenſu vulgaris quodammodo lectio & interpretatio locorum CICERONIS *Orat. pro Balbo*, *cap.* 8. & LIVII *lib.* IX. *cap.* 43. admitti poſſet, ut hi nempe populi juris ſui plenariam libertatem, vel leges ſuas in omnibus illibatas habere maluerint, quam civitatem Romanam accipere, ut tamen propterea non inferatur, municipia in totum amiſiſſe autonomiam, quippe cujus ſententiæ falſitas ex hactenus dictis ſatis jam apparebit. Eligat ergo quis lectionem & interpretationem horum locorum, quamcunque velit, nihil tamen in iis præſidii reperiet, quo vel Sigonii, vel aliorum, de amiſſa municipiorum autonomia, ſententiam tueri amplius queat.

Habebant tamen municipes, non minus quam 46. populi liberi & fœderati, eam libertatem, ut ſponte leges quaſdam Romanorum, quas ſtatui ſuo bene convenire deprehendebant, poſſent recipere, & in eas *fundi*, id eſt auctores fieri, ut de ſociis & populis liberis præcipue declaravit CICERO in *Oratione pro Balbo*; de municipiis vero illud in ſpecie loco laudato indicat GELLIUS per eam conditionem: NI IN QUAM POPULUS EORUM FUNDUS FACTUS EST. Poterant præterea municipia etiam a Romanis petere, ut leges ſibi peculiares præſcriberent. Cujus rei exemplum afferre poſſem luculentum ex LIVIO *lib.* IX. *cap.* 20. ubi narrat: *Eodem anno primum Præfecti Capuæ creari cœpti, legibus a L. Furio Prætore datis: quum utrumque ipſi pro remedio ægris rebus diſcordia inteſtina petiiſſent*: dummodo certo conſtaret Capuam

eo tempore fuiſſe municipium. VELLEJUS quidem PATERCULUS, id ſuadere videtur, dum *lib.* I. *cap.* 14. dicit: *Sp. Poſtumio, Veturio Calvino Coſſ.* (id eſt A. U. C. CCCCXXXIII. *æris Varronianæ*, adeoque tribus annis ante, quam id contigit, quod ex Livio narravi) *Campanis data eſt civitas*: ſed Livius aliique nihil hac de re habent. Vulgo locum LIVII ita accipiunt, ac ſi Capua jam tunc Præfectura facta fuerit: ſed hoc jam refutavit *Vir. Cel. Arnoldus Drakenborgius*, *pag.* 919. *tom.* II. editionis ſuæ præſtantiſſimæ. Et ſane, ſi verum dicere amamus, illa etiam ſententia prorſus conſiſtere nequit: nam 1) in præfecturæ ſtatum oppida non niſi in pœnam redigebantur: non vero legimus hoc loco, Capuam aliquid contra Romanos deliquiſſe, ſed Campanos a Romanis leges tantum petiiſſe, ob inteſtinas diſcordias. 2) Præfecti non ſolebant creari in ipſis præfecturis: ſed ex urbe Roma in præfecturas potius mittebantur: hinc nulli alii hoc loco Præfecti poſſunt intelligi, quam tales, qui ex ipſis Campanis Capuæ creabantur. Hoc ergo certum eſt, Campanos ob inteſtinas diſcordias a Romanis petiiſſe, ut illi ſtatum urbis ordinarent, legeſque ſibi præſcriberent. Senatus Romanus hoc negotium demandavit L. Furio Prætori: is ergo leges Campanis præſcripſit, & ſecundum eas leges eo anno Capuæ primum Præfecti (ita enim tunc magiſtratus Campanorum vocabantur) creati ſunt. Quo vero ſtatu reſpectu Romanorum Campani eo tempore fuerint, id non adeo definire expeditum eſt. Interim negari tamen nequit, hoc etiam municipiis potuiſſe contingere, ut certas ob cauſas leges a Romanis peterent: ſed & illud autonomiæ eorum nulla ratione

ne nocuiſſet: nam leges illæ præſcriptæ ſponteque ſuſceptæ, non aliter poſtea, quam propriæ municipales leges conſiderari poterant.

Ne tamen libertas & autonomia municipiorum latius forte, quam par eſt, extendatur, quædam adhuc cautiones notandæ veniunt. Nimirum municipes in ſuis quidem municipiis propriis vivebant legibus, & inter ſe quoque ſecundum eas leges contrahebant, controverſiæ etiam illorum, quæ inter eos intercedebant, a propriis ſuis magiſtratibus ſecundum leges municipales dijudicabantur: aſt videndum tamen adhuc eſt, num a magiſtratibus etiam Romanis, & in foro Romano, ad leges municipales reſpiciendum fuerit? Omnes municipes erant cives Romani: erant nihilominus cives in ſuis etiam municipiis: nec duarum propterea civitatum cives erant: nam municipia ut partes civitatis Romanæ conſiderabantur. Omnes tamen municipes duplicem habebant patriam, unam originis, municipium nempe ſuum; alteram juris, Romam ſcilicet, quippe quæ omnium civium Romanorum communis erat patria. Hinc omnes quoque municipes duplex habebant forum, proprium nempe originis, in ſuo municipio; & commune omnium Romanorum civium, Romæ ſcilicet: idque non tantum, quamdiu in ſolo ſuo municipio domicilium habebant, ſed etiam quando Romæ domicilium collocaverant. Sicuti enim municipes, qui in ſuo habitabant municipio, nihilominus commune illud omnium civium forum, Romanum nempe, agnoſcere debebant: ita etiam poſt domicilii tranſlationem nihilominus forum illud priſtinum originis retinebant. Neque cum quibuſdam ſtatuendum eſt, hocce forum non niſi 47.

ad munera municipalia pertinuiſſe: ſed fuit ſine dubio generale, & ad omnes pertinuit cauſas. Poterant ergo municipes & in ſuo municipio, & Romæ conveniri. Videndum igitur jam eſt, num cauſæ in municipiis ſemper ſecundum leges proprias municipales; Romæ vero ſemper ſecundum leges Romanas dijudicatæ fuerint. Ego exiſtimo, in utroque utique foro reſpici debuiſſe, utrum negotium aliquod ſecundum ſpeciales municipii leges geſtum atque contractum fuerit, an vero ſecundum jus commune civium Romanorum: & priori quidem caſu litem ſecundum leges quoque municipales fuiſſe decidendam, non in ipſo tantum municipio, ſed in foro etiam Romano. Quamvis enim non ſine ratione dubitari queat, an lex quoque municipalis actionem in foro Romano tribuere potuerit: nullus tamen dubito, quin exceptio, non ſecus ac ex pacto, ex lege municipali data fuerit: immo in negotiis bonæ fidei judicem ex officio legis municipalis rationem habuiſſe arbitror. Poſteriori vero caſu lis non tantum Romæ, ſed in ipſo etiam municipio ſecundum jus civile Romanum ſine dubio fuit decidenda. Veroſimile tamen interim eſt, ſecundum proprios municipales leges non facile, niſi unius municipii cives contraxiſſe, & hoc caſu controverſiam ex tali negotio ortam non facile alibi, niſi in ipſo municipio fuiſſe pertractatam. Contra quando municipes cum civibus Romanis aliis, qui non ex iſto erant municipio, negotium gerebant, tunc ſine dubio hoc ordinarie ſecundum jus commune Romanum faciebant, immo & ita eos (niſi aliud diſertis verbis eſſet expreſſum) contraxiſſe ſemper præſumebantur: hoc igitur caſu ſi controverſia intercederet, eam haud

haud facile alibi, quam Romæ deciſam fuiſſe puto. Licet enim municipes in ſuo quique municipio ſecundum proprias viverent leges: erat tamen inter omnes cives Romanos juris civilis communio, & hinc ſecundum jus quoque civile erat inter eos commercium, & recte inter ſe ſecundum jus civile contrahebant, cives ergo Romani diverſorum oppidorum magis jus commune civium Romanorum, quam ſpeciales alicujus oppidi leges, aut conſuetudines præ oculis habuiſſe præſumebantur. Quid ergo probabilius, quam hoc quoque caſu litem in communi magis, quam in proprio rei foro fuiſſe inſtitutam. Si tamen actor mallet reum in proprio ſuo foro convenire, tunc & municipales magiſtratus negotium ſecundum jus commune, quod utrique ſecuti erant, dijudicare debuiſſe exiſtimo. Aſt aliter ſe plane res habebat, quando cives Romani, vel municipes, negotium gerebant cum non civibus, ſive peregrinis, ex liberis etiam & fœderatis populis, aut oppidis: tunc enim negotium magis (niſi aliud expreſſis verbis declaratum) ſecundum jus naturæ & gentium geſtum fuiſſe videbatur, & hinc cauſa ſecundum illud quoque erat dijudicanda, in quocunque demum foro lis in judicium perduceretur. Romæ in ſpecie tales controverſiæ non ad prætorem urbanum, ſed ad peregrinum pertinebant: quippe qui non tantum inter ipſos peregrinos, ſed ob eandem cauſam inter cives quoque & peregrinos jus dicere debebat. Ex hoc igitur capite etiam (ut & ex iis, quæ in prioribus de connexione ipſius juris civitatis cum legibus Romanis dixi) dijudicari quodammodo poteſt, quomodo per communicationem juris civitatis, primo cum omnibus Italis,

deinde cum multis provincialibus, tandemque cum omnibus orbis Romani incolis, ipſum quoque jus civile Romanorum ſenſim communicatum, jurisque uniformitas quædam in imperio Romano introducta fuerit, ita tamen, ut nihilominus autonomia quorundam oppidorum ſalva
48. ſemper permanſerit. Sed hæc obiter. Jam enim, ut ad ſcopum meum redeam, illa quoque quæſtio hic excutienda eſt, num jus civile Romanorum in municipiis in ſubſidium ſaltem fuerit receptum, ita ut iis caſibus, quando nihil in ſpecialibus municipiorum legibus eſſet determinatum, negotia ſecundum jus civile Romanorum fuerint dijudicata? Mihi ſane hoc perquam veroſimile videtur: erat enim ſine dubio jus civile Romanum commune omnium civium Romanorum jus: qua ergo ratione melius potuiſſent controverſiæ dijudicari, de quibus nihil jure municipiorum ſpeciali cautum erat, quam ſecundum jus illud commune? In oppidis contra liberis & fœderatis in dubio cauſas potius ex jure naturæ, ſive ex æquo & bono, dijudicatas fuiſſe, quam ex Romanorum jure civili, prorſus exiſtimo. Poſt communicatum vero cum omnibus in orbe Romano jus civitatis, non dubito, quin in illis etiam oppidis, quæ autonomiam retinebant, in ſubſidium jus commune Romanum valuerit, ut hac etiam ratione pedetentim magis magiſque juris aliqua uniformitas in imperio Romano introduceretur. Quum enim ſæpenumero in jure Romano cautum ſit, in conſuetudinibus in dubio reſpiciendum eſſe ad conſuetudinem ipſius urbis Romæ: concludere exinde poſſumus, in jure magis ſcripto, quoties nihil in ſpecialibus oppidorum, quæ autonomiam habebant, legibus deter-

determinatum erat, reſpiciendum omnino fuiſſe ad jus commune Romanum. Accedebat ipſius juris Romani dignitas, quæ facile quibuſcunque populis oppidiſque perſuadebat, ut ſe, quantum ſalva autonomia ſua facere poſſent, quam libentiſſime juri civili accommodarent. Denique & illud adhuc non eſt prætermittendum, quoties generali quadam lege abſolute aliquid in imperio Romano erat determinatum, toties contra illam nullam valuiſſe legem ſpecialem municipii alteriuſve oppidi liberi in imperio Romano. L. 3. §. 5. D. *de ſepulcro viol.*) Hæc de municipiis proprie ſic dictis in genere, præcipue de eorum autonomia, paullo plenius & accuratius, quam hactenus factum fuit, exponere volui. Poſſent quidem adhuc multa de magiſtratibus municipalibus, deque eorum juriſdictione atque imperio, nec non de differentia eorum a magiſtratibus in coloniis, & in oppidis liberis ac fœderatis addi: ſed hæc omnia partim jam ab aliis ſunt occupata, partim ita ſunt obſcura, ut nihil certi de iis tradi poſſit; ergo hac quidem vice ab hac tractatione abſtineo, quum præſertim, quod libens fateor, nondum omnia, quæ ad hanc doctrinam ſpectant, ipſe plene excuſſerim. Alio tamen loco & hac de re ſententiam forte meam interponere non intermittam.

Jam ergo progredior ad diverſa municipiorum 49.
proprie ſic dictorum genera. Hæc oriuntur ex diverſis, quæ ad municipium proprie conſtituendum non pertinent, accidentalibus, quæ jam ſunt excutienda paullo diligentius. Dixi ſupra, omnia municipia eſſe oppida cum omnibus civibus ſuis in communionem juris civitatis recepta: priori vero capite docui, Romanos non ſemper

omnia civitatis jura communicaſſe cum aliis. Quædam enim jura abſolute erant neceſſaria omnibus omnino civibus, qualia privata: quædam non abſolute erant neceſſaria, qualia publica. Prout ergo Romani plura pauciorave cum municipiis jura communicaverant, eo meliori, aut deteriori civitatis jure utebantur: hinc igitur diverſa jam municipiorum genera orta ſunt. Præcipua vero differentia in eo conſiſtebat, utrum haberent jus ſuffragii in comitiis tributis & centuriatis, nec ne: (nam curiata quidem, ut notum eſt, ad ſolos, qui in urbe ipſa habitabant, cives pertinere poterant) exinde enim municipia diſtinguebantur cum & ſine jure ſuffragii. Cum hoc ſuffragii jure arctiſſimo, ut ſupra dixi, nexu cohærebat jus Cenſus. Quæ ergo ſuffragii jure utebantur municipia, illa & Romæ in certa tribu centuriave cenſebantur. Hinc vel ſtatim cum ipſo ſuffragii jure tribum plebiſcito accipiebant, vel a proximis ſaltem cenſoribus in tribum, & per conſequens etiam in centurias referebantur. Quæ vero jure ſuffragii deſtituebantur, illa etiam Romæ in tribu centuriave cenſeri non conſueverunt, ſed generatim tantum a Cenſoribus in Cæritum tabulis ſcripta ſunt. Municipes tamen ſine dubio omnes a propriis ſuis cenſoribus immediate cenſebantur; mediate vero a cenſoribus quoque Romanis. Sed hæc omnia alio inpoſterum capite pluribus erunt explicanda: id tantum hoc loco monere volo, per legem Juliam omnia in Italia municipia jus ſuffragii accepiſſe; de municipiis vero extra Italiam nuſquam legimus, ea ullo unquam tempore jus ſuffragii habuiſſe. Quod porro ad jus tributorum attinet, de eo mox dicam: quod autem ad jus militiæ, om-

Digitized by Google

omnes ſine dubio municipes, tanquam cives Romanos, jus in legionibus militandi habuiſſe exiſtimo, niſi iis aliud forte impedimentum, veluti libertinis, obſtaret. Neceſſitatem quoque omnibus omnino municipiis (niſi hac in re ſpeciali gauderent privilegio) incubuiſſe, certum militum numerum præbendi perſuaſum habeo. Num vero hac in re differentia aliqua fuerit inter municipia, cum & ſine jure ſuffragii, id nobis quidem hodie in ſilentio veterum dictu haud eſt proclive. Quod deinde ad jus honorum ſpectat, municipes, in ipſo ſuo municipio habitantes, poterant quidem honores municipales gerere, ſed non Romæ. Sic v. g. Ciceronis pater & avus, quum in municipio tantum viverent, non poterant Romæ honores gerere, ſed in ſuo ſolummodo municipio. Aſt M. Cicero cum Q. Fratre Romæ domicilium collocarunt, & hinc in curiam & ad ſummos pervenerunt magiſtratus Romanos. Eſt tamen adhuc videndum, num & hac in parte aliqua fuerit differentia inter municipia cum & ſine jure ſuffragii. Municipes ſane, qui ex municipio ſine jure ſuffragii Romæ adveniebant, ibique domicilium collocabant, non ſtatim poterant honores petere: ſed neceſſe prius erat, ut certæ alicui tribui & centuriæ adſcriberentur, & hac ratione jus ſibi ſuffragii adquirerent. Quamvis enim jus ſuffragii ſine jure honorum conſiſtere poſſet: nemo tamen jus honorum ſine jure ſuffragii; neque jus ſuffragii ſine tribu & centuria habere poterat. Qui contra ex municipiis cum jure ſuffragii Romæ ſuum collocabant domicilium, illi jam tribum & centuriam, adeoque jus etiam ſuffragii habebant in comitiis non tantum tributis, ſed & centuriatis: ergo illis nihil amplius deerat, quam ut & curiæ cuidam adſcriberen-

berentur, & ſic participes quoque fierent comitiorum curiatorum: nam & hoc utique ad jus honorum Romæ gerendorum erat neceſſarium.

50. Quod denique ad jus ſacrorum pertinet, ſupra in definitione municipiorum proprie ſic dictorum tanquam requiſitum neceſſarium poſui, ut propriis ſuis ſacris uterentur. Municipia enim, licet in ſocietatem juris civitatis a Romanis eſſent ſuſcepta, in cæteris tamen omnia ſua inſtituta retinebant, & hinc propriis quoque ſacris ſuis non minus, quam antea, fruebantur. Id quod eo minus mirandum, quum Romani devictis etiam gentibus & dedititiis ſacra plerumque ſua reſtituere & ſalva relinquere ſolerent. Licet enim dedititii omnia divina atque humana dedere deberent; licet omnia etiam ſacra reſpectu victoris jure belli eſſent profana: hoc tamen jure moderate admodum uti ſolebant Romani, neque facile locum aliquem ſacris ſuis ſpoliare, niſi illum plane deſtruerent. Maneat ergo fixum atque firmum, municipia, quæ ſponte in ſocietatem juris tantum civitatis Romanæ veniebant, & in cæteris rebus omnibus ſecundum propria vivebant inſtituta, propria quoque ſacra ſua in omnibus illibata retinuiſſe. Neque hac quoque in parte aliqua fuit differentia inter municipia cum, vel ſine jure ſuffragii: quid enim jus ſuffragii commune habet cum jure ſacrorum? Habebant ergo omnia omnino municipia proprios ſuos Deos tutelares, habebant ſuos ritus ſacrorum, habebant ſuos feſtos dies ludoſque, habebant denique proprios etiam ſuos ſacerdotes. Nullo enim modo cogebantur, ut ſacra Romanorum ſuſciperent, niſi illud ſua ſponte facere vellent: id quod iis quidem erat permiſſum, ita tamen, ut hoc ipſum

ſum antiquis ſuis ſacris nullum propterea afferret detrimentum. Etenim tantum abeſt, ut Romani ſacra illa municipalia abolere voluerint, ut expreſſis potius verbis jure pontificio cautum fuerit, ne ſacra iſta ullo modo interirent: qua de re notabilis eſt locus Festi in *Fragmentis*, *pag.* 3. *ed. Amſtel. Municipalia ſacra vocantur, quæ ab initio habuerunt, ante civitatem Romanam acceptam, quæ obſervare eos voluerunt Pontifices, & eo more facere, quo adfuiſſent* [pro quo verbo Fulvius Urſinus in margine ponit: *adſueſſent*, ſine neceſſitate] *antiquitus*. Neque municipes in ſuis tantum municipiis ſacris iſtis erant adſtricti: ſed & quum Romam domicilium transferrent, licet & tunc in ſocietatem ſacrorum Romanorum ſuſciperentur, nihilominus tamen obſervare adhuc debebant priſtina ſua ſacra municipalia, non tantum publica, ſed & gentilitia atque familiaria. (Vid. e. g. Cicero *Orat. pro Milone*, *cap.* 10. & *de legibus lib.* II. *cap.* 1.) Præterea illud inprimis hoc loco notatu dignum eſſe arbitror, ipſos non nunquam Romanos ſacra quædam municipalia recepiſſe, & cum quibuſdam municipiis peculiarem habuiſſe ſacrorum quorundam communionem. Sic cum Lavinio communes habebant Deos Penates: (Vid. Macrobius *Saturn. lib.* III. *cap.* 4. Servius ad *Virgilii Æneid. lib.* II. *v.* 296. Asconius Pedianus in *Comment.* ad *Ciceronis Orat. pro Scauro*, *pag.* 171.) cum Lanuvio ſacra Junonis Soſpitæ: (Vid. Livius *lib.* VIII. *cap.* 14. ibique *Interpp.* Cicero *Orat. pro Muræna*, *cap.* 41.) & fortaſſis cum aliis etiam municipiis ſacra quædam habuerunt communia: neque ullus dubito, quin & municipia contra quædam ſacra interdum Romanorum ſuſceperint. Exinde ergo nova munici-

cipio-

cipiorum diviſio oriri poſſet, quod alia ſcilicet ſacra quædam cum Romanis communia haberent, alia vero nullam ſacrorum cum Romanis communionem. Id interim certum tamen eſt, exceptis paucis illis ſacris, quæ inter Romanos & municipia quædam ex peculiari modo inſtituto erant communia, in cæteris nullam fuiſſe inter municipia & urbem Romam ſacrorum communionem. Quando vero municipes Romam migrabant, ibique domicilium collocabant, tunc jus etiam ſacrorum Romanorum omnium, ne curialibus quidem exceptis, ſibi adquirebant. Longe alia vero neceſſitudo erat ratione ſacrorum cum Coloniis: coloniæ enim omnia Romanorum inſtituta ſecum afferebant, & hinc nullum eſt dubium, quin ſacra quoque ſecundum ritus Romanos inſtituerint. Hinc inter colonias & urbem Romam, tanquam metropolim ſacrorum utique omnium erat communio, exceptis ſacris tantum curialibus, quippe quæ ad ſolos intra pomœrium cives pertinere poterant. Immo fuiſſe hoc olim commune omnium coloniarum, etiam liberarum, inſtitutum, ut ſacra metropoleos ſuæ retinerent, late jam probavit *Ezechiel Spanhemius de uſu & Præſtantia Numiſmatum, Tom.* I. *Diſſ.* IX. Pluribus vero de differentia quoad jus ſacrorum inter municipia & colonias egerunt *Henricus Noriſius* in *Cenotaph. Piſan. Diſſ.* I. *cap.* 5. *pag.* 114. *Tom.* III. *Opp.* & *Vir. Ampliſſimus Everhardus Otto de Ædilibus Coloniarum & Municipiorum*, *cap.* I. qui notarunt quoque *Sigonium*, qui ſtatuit, colonias ſuſcepiſſe ſacra ejus loci, in quem deducebantur. Ego tamen Sigonii ſententiam non plane rejiciendam, ſed limitandam potius cenſeo. Licet enim coloniæ

niæ ſacra Romana ſecum afferrent, & ſacra ſua ſecundum ritum potiſſimum Romanum inſtituerent, potuerunt tamen ſimul quoque antiqua loci illius ſacra retinere, quum Romani imprimis non facile ſacra antiqua interire paterentur, adeo, ut & ex devictis ſæpe urbibus ſacra evocare & Romam transferre ſolerent. Voluerunt enim in omnibus nimii potius quam parci Deorum cultores videri Romani. Sed hæc obiter.

Poteſt & alia adhuc diſtinctio municipiorum 51. excogitari, quod alia ſcilicet prorſus fuerint immunia, alia vero non fuerint immunia. Municipia quidem omnia cum jure civitatis in ſocietatem quoque munerum publicorum ſuſcepta fuiſſe, ſupra me jam dixiſſe memini. Conveniebat enim omnino, ut pro communicatæ civitatis honore cum civibus munerum etiam publicorum & onerum partem ferrent. Nihilominus tamen non omnium municipiorum hac in parte unam eandemque fuiſſe conditionem certum eſt: & quo major erat honor, eo majus quoque onus fortaſſis fuiſſe, probabile mihi fit. Quum ergo majori utique honore eſſent municipia cum jure ſuffragii, quam ſine iſto jure; hinc illis quoque majora ut plurimum onera, quam hiſce, impoſita fuiſſe exiſtimo. De Cæritibus ſaltem narrat Gellius *Noct. Attic. lib.* XVI. *cap.* 13. *Primos autem municipes ſine ſuffragii jure Cærites eſſe factos accepimus, conceſſumque illis, ut civitatis Romanæ honorem quidem caperent, ſed negotiis tamen atque oneribus vacarent, pro ſacris bello Gallico receptis cuſtoditiſque.* Habemus hic municipium prorſus immune: ſed alia non ita immunia fuiſſe, & immunitatem quoque aliorum pleniorem fuiſſe, quam aliorum, ſatis nobis indicat Cicero, dum

dum, *lib.* V. *Accuſat. in Verrem*, *cap* 22. ita loquitur : *Quæ colonia eſt in Italia tam bono jure, quod tam commune municipium, quod per hoſce annos tam commoda vacatione ſit uſum omnium rerum, quam Mamertina civitas per triennium.* Erant quidem municipia civium Romanorum oppida, &, ut ſupra probavi, habebant quoque quoad ſolum jus Italicum ; & hinc non eodem modo obnoxia erant, ut oppida provincialia, neque tributo capitis & ſoli in recognitionem dominii gravabantur: nihilominus tamen non ab omnibus oneribus, tributis & vectigalibus erant immunia, (quum ne ipſi quidem cives in urbe agroque Romano eſſent omni tempore prorſus immunes) niſi ſpeciali privilegio plenariam impetraſſent immunitatem. Quænam vero diverſorum pro diverſis temporibus municipiorum hac in re conditio fuerit, nobis quidem explicare non licet, quum teſtimoniis veterum deſtituamur. Poſſumus quidem generatim dicere municipes illos, qui nullo ſpeciali privilegio nitebantur, quoad tributa & vectigalia ut plurimum ſimiles fuiſſe civibus in urbe agroque Romano degentibus: aſt probabile tamen eſt, quibuſdam interdum municipiis ſpecialia quoque onera fuiſſe impoſita, ut v. g. hæc materiam ad naves ædificandas præſtarent, alia vero alias res, quæ ad reipublicæ ſalutem & conſervationem pertinerent : ſed, ut dixi, ſpecialius hoc in ſilentio veterum exequi haud poſſumus. Hæc ergo de diverſis etiam municipiorum proprie ſic dictorum generibus ſufficiant: ex quibus omnibus ſine dubio quilibet jam abunde perſpicere poterit, quid in ſenſu proprio fuerint municipia.

52. Non vero ita accurate ſemper locuti fuerunt vete

veteres, ut municipii vocabulum non niſi hoc ſtricto & proprio ſenſu adhibuerint: ſed ſæpiſſime illud in multo latiori ſenſu apud probatos quoque ſcriptores accipi debet, ex quo confuſio facile oriri poſſet, niſi quis probe ſemper animadvertat, quo ſenſu oppidum aliquod municipium appelletur. Ex hoc enim confuſo loquendi more illud venit, ut unum oppidum interdum vocetur colonia, interdum vero municipium. Sic etiam unum interdum oppidum vocatur præfectura, interdum municipium: idque non tantum contingit, quando ſcriptores de diverſis loquuntur temporibus: (nam & ſtatus oppidorum, ut infra dicam, ſæpenumero mutari ſolebat) ſed etiam quando de iiſdem temporibus ſermo eſt, ut adeo ſatis appareat, municipii vocabulum non uno eodemque ſemper ſenſu eſſe accipiendum. Nam in proprio quidem ſenſu nullum oppidum eodem tempore & eodem reſpectu colonia ſimul & municipium, neque municipium ſimul & præfectura eſſe poterat, ut partim jam ex hactenus dictis, partim ex infra dicendis abunde apparebit. Ut igitur hæc evitetur confuſio, illud tantum in præſenti dico, in ſenſu latiori omnia civium Romanorum oppida dicta fuiſſe municipia, licet cætera deeſſent requiſita: immo & in ſenſu latiſſimo omnia omnino, in quo incolæ modo omnes eſſent cives Romani, oppida ita appellata fuiſſe obſervavi. Hanc latiorem vocabuli municipii acceptionem non facile ante legem Juliam, qua jus civitatis cum omnibus Italis communicatum fuit, obtinuiſſe arbitror: poſtea vero latiori ſæpe ſenſu omnia Italiæ oppida vocantur municipia. Latiori adhuc ſenſu municipii vocabulum acceptum fuit poſt communicatum cum omnibus

nibus in orbe Romano ingenuis jus civitatis per conſtitutionem Antonini Caracallæ: tunc enim ſine ulla diſtinctione omnia in orbe Romano oppida plerumque vocata fuerunt municipia: id quod indicant GELLIUS *Noct. Attic. lib.* XVI. *cap.* 13. (qui quidem ante Caracallæ tempora vixit, ſed eo tamen, quo jam jus civitatis cum multis admodum in provinciis communicatum, & vera municipiorum jura jam obſcurata & obliterata propemodum erant) & ULPIANUS in L. 1. §. 1. D. *ad municipal.* (Confer, præter Spanhemium, *Viri Ampliſſimi Everhardi Ottonis* librum doctiſſimum *de Ædilibus Colon. & Municip. cap.* 1. §. 4. & *cap.* 7. §. 6.) Licet enim (quod aliquoties monui) neque per legem Juliam, neque per conſtitutionem Antonini, quicquam in ipſis oppidorum juribus & conditionibus mutatum fuerit: occaſionem tamen hæ omnino leges præbuerunt, ut & nomina, & jura oppidorum confunderentur. Id quod melius adhuc apparebit, ſi prius veram præfecturarum & liberorum oppidorum naturam & conſtitutionem expoſuero.

53. Interim ob materiæ affinitatem paucis prius de diverſis etiam ſignificationibus vocis *Municeps* eſt agendum. Hoc vocabulum plures adhuc ſignificationes, quam ipſius Municipii admittit. Quædam ſignificationes ſunt meræ grammaticæ, quædam etiam juridicæ: quædam propriæ & ſtrictæ, quædam impropriæ & latæ. Municeps nomen habet a munere capiendo, & hinc in ſenſu grammatico municeps eſt quicunque nobiſcum munus aliquod capit. (Vid. VARRO *de lingua Latina lib.* IV. *pag.* 42. L. 1. §. 1. D. *ad municipal.* L. 18. D. *de* V. S.) Et in hoc quidem ſenſu grammatico municipium nomen potius habet a municipe, quam

quam municeps a municipio: ſed juridice res eſt invertenda. Municipes enim juridice nomen omnino habent a municipio, non vero municipium a municipe. Oppida enim apud Romanos fiebant municipia, & tunc cives ejus (non omnes incolæ) eo ipſo erant municipes. In ſenſu igitur juridico, & quidem ſtricto ac proprio, Municeps eſt civis municipii proprie ſic dicti. Neque etiam alio modo municipes definit Gellius *Noct. Attic.* XVI. *cap.* 13. niſi quod plura adhibeat verba, quæ a nobis non ſunt addenda, quia ad municipii magis, quam municipis definitionem pertinent. Sed ſicuti ipſum municipii vocabulum in latiori ſæpiſſime ſenſu ſumitur, ita etiam municipis: hinc municeps in genere vocatur civis, immo etiam incola, municipii in ſenſu etiam latiori. Poſtquam ergo receptum fuit, ut omnia omnino in imperio Romano oppida vocarentur municipia, invaluit quoque, ut cives, vel incolæ, cujuſcunque oppidi vocarentur municipes. (Vid. Gellius loco laudato, & L. 1. §. 1. D. *ad municipal.*)

Jam paucis etiam videbimus, quid Festus ejuſque epitomator Paullus de diverſis vocis *Municeps* & *Municipes* ſignificationibus afferant in loco illo obſcuro & ſæpe ab eruditis jam tentato, de quo jam ſupra paucis ſententiam meam generatim declaravi. Licet enim Paullus præ ſe ferat, acſi magis vocis *Municipium* ſignificationes enarrare velit: revera tamen vocis *Municipes* potius ſignificationes tradidit, id quod ſine omni dubio eruditis errandi præcipue occaſionem dedit. Festus in *ſchedis*, *pag.* 80. *ed. Amſt.* quidem ita loquitur: Municeps *eſt*, *ut ait* Ælius Gallus, *qui in municipio liber natus eſt.* Recte ſe hoc habet, qui liber in municipio natus 54.

eſt, ille etiam municeps eſt: nativitas enim municipem faciebat, ut ſupra capite tertio vidimus, ubi etiam cautelas hac de re obſervandas expoſuimus. Non tamen neceſſe eſt, ut quis liber ſit natus, quemadmodum mox videbimus. Pergit Festus: *Item, qui ex alio genere hominum munus functus eſt.* Hoc pertinet ad ſignificationem mere grammaticam, de qua ſupra dixi. Porro ait Festus: *Item, qui in municipio ex ſervitute ſe liberavit a municipe:* id eſt, qui a municipe erat manumiſſus: & recte, nam municipem & manumiſſio faciebat, ut ſupra capite tertio vidimus. Neque neceſſe eſt, (quod etiam vidit *Dacier*) ut cum *Joſepho Scaligero* legamus: *item quem municipium a ſervitute liberavit.* Sine dubio enim Feſtus non tantum loquitur de ſervis publicis municipiorum, ſed & de ſervis a privatis in municipio manumiſſis. Hæc definitio cum prima ſimul ſumta comprehenſa eſt ſub noſtra, quando diximus: municeps eſt civis in municipio: perinde enim eſt, ſive ſit civis natus, ſive factus. Hactenus quidem Feſti verba ſunt facilia: ſed quæ jam ſequuntur, majorem habent difficultatem, ſi præſertim cum Paulli verbis conferantur. Pergit enim ita Festus: *Item municipes erant, qui ex aliis civitatibus Romam veniſſent, quibus non licebat magiſtratum capere, ſed tantum muneris partem.* Quæ ad hunc locum affert *Dacerius* in *notis pag.* 251. *ed. Amſtel.* ea ſunt partim vulgaria, partim falſa, ex Sigonio hauſta, quæ nihil ſaltem ad hujus loci interpretationem faciunt. Sunt vera hæc Feſti verba conferenda cum illis Paulli: (pag. 252. *ed Amſtel.*) *Municipium* (dicere potius debuiſſet: Municipes) *id genus hominum dicitur, qui quum Romam veniſſent, neque cives Romani eſſent, participes tamen fue-*

fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus, præterquam de ſuffragio ferendo, aut magiſtratu capiendo, ſicut fuerunt Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tuſculani, qui poſt aliquot annos cives Romani effecti ſunt. Neſcio ſane, quid ſibi velit *Ezechiel Spanhemius* in *Orbe Rom. Exerc.* I. *cap.* 12. *pag.* 70. dum dicit, hos non veros fuiſſe municipes, dum a munere in urbe capiendo erant excluſi. FESTUS ſane & PAULLUS diſertis verbis affirmant, eos potuiſſe munera capere cum civibus, & fuiſſe illos tantum a jure ſuffragii & honorum excluſos. Neque etiam comprehendere poſſum, quid ſibi velit doctiſſimus *Joh. Gottlieb Heineccius* in *Synt. Antiqq. App.* ad *lib.* I. §. 122. quando ad hæc verba dicit, hos, dum in patria manſerunt, peregrinos fuiſſe habitos: aſt Romam commigrantes, eos jura civitatis, ſed non optimo jure, conſecutos fuiſſe. PAULLUS ſane dicit, eos, quum Romam veniſſent, non fuiſſe cives. Recte vero laudatus *Spanhemius* ex eo, quod non fuerint cives, concludit, illos quoque non veros fuiſſe municipes: nam veri municipes ſemper erant cives etiam Romani. Neceſſe ergo eſt, ut aut PAULLUS *civis* vocabulum hic non in proprio & ordinario ſenſu acceperit, ſed in ſenſu tantum ſpecialiſſimo, ut vel ſolum optimo jure civem denotet, vel ſolum in urbe Roma agrove Romano habitantem civem: aut ut FESTUS & PAULLUS vocabulum *municipis* non in proprio & juridico ſenſu acceperint, ſed in ſenſu tantum grammatico: ſed ita hæc ſignificatio prorſus eſſet eadem cum illa, quam ſupra ſecundo loco poſuit Feſtus. De exemplis a PAULLO allatis varia quidem notarunt & *Dacerius* & *Spanhemius*: ſed id

V 3 præ-

prætermiſerunt tamen, quod præcipue fuiſſet notandum: inter hæc nimirum exempla reperiri Cumanos & Acerranes, quos Festus ipſe retulit ad municipes in ultimo ſignificatu: quam difficultatem nemo hodie facile tollere poterit. Pergit enim Festus ita: *At Servilius* [Urſinus in margine legit: *Ser. filius*] *ajebat*, *initio fuiſſe*, *qui ea conditione cives Romani fuiſſent*, *ut ſemper rempublicam ſeparatim a populo Romano haberent*, *Cumanos videlicet*, *Acerranos*, *Atellanos*, *qui æque cives Romani erant*, *& in legione merebant*, *ſed dignitates non capiebant*. Hi ſunt ergo municipes proprie ſic dicti, ſive cives municipii proprie ſic dicti: utrum cum, an ſine ſuffragii jure, non determinat Festus, ſed excludit illos tantum ab honoribus, quouſque ſcilicet in municipio tantum habitabant. Cum hac ſignificatione coincidere non tantum tertiam Paulli, ut putarunt *Spanhemius* & *Heineccius*, ſed & ſecundam exiſtimo; hæ enim duæ ex mea ſententia conjungendæ potius, quam diſtinguendæ ſunt: poſſunt enim optime inter ſe conſiſtere. Dicit nimirum Paullus: *Alio modo*, *quum id genus hominum definitur*, *quorum civitas univerſa in civitatem Romanam venit*, *ut Aricini*, *Cærites*, *Anagnini*. Hoc enim municipium proprie ſic dictum eſt, quod per univerſitatem in civitatem Romanam venit, ut non amplius pro peculiari civitate, ſed pro parte potius civitatis Romanæ habeatur, ita tamen, ut quoad formam externam ſeparata quaſi reſpublica maneat. Sæpe enim municipia reſpublicæ vocantur, ut probat *Spanhemius l. c. pag.* 73. *ſeq.* Sic bene hoc cum Feſti verbis paullo ante allatis conjungi poteſt. Non vero inferunt Feſti verba, ut & hæc munici-

nicipia ſuffragii jus habuerint, ut putarunt *Spanhemius* & *Heineccius*: hoc enim ad eſſentiam municipiorum non pertinebat. Quæ hic de Cæritibus affert *Dacerius* in *notis pag.* 252. partim nullo auctore nituntur, partim contra diſerta veterum teſtimonia ſunt: ſed hoc obiter. Cum hac, ut dixi, definitione conjungi poteſt illa, quam Paullus ultimo loco addit: *Tertio, quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipia* (municipes dicere debuiſſet) *eſſent ſuæ cujuſque civitatis, & coloniæ, ut Tiburtes, Præneſtini, Piſani, Arpinates, Nolani, Bononienſes, Placentini, Nepeſini, Sutrini, Lucenſes.* Municipes enim erant cives Romani: erant vero etiam municipes ſuæ cujuſque civitatis: ergo hoc cum priori ſignificatione non pugnat, ſed potius conjungendum eſt, & utræque ſignificationes optime rurſus conjunguntur cum ea, quam ultimo loco Festus poſuit. Recte quidem *Spanhemius* & *Heineccius* dicunt, hæc municipia ſuis vixiſſe legibus: ſed & hoc ad priora pertinet. Quod addit denique Paullus: *& coloniæ*, id ad abuſum vocis municipii pertinet, per quem ſæpe cum Colonia confunditur, ut ſupra dixi. Si hoc notaſſet *Dacerius*, non dixiſſet in *notis*, indicari forſan genus municipiorum, quum in jus coloniæ tranſirent. Hæ meæ qualeſcunque ſunt cogitationes de locis hiſce obſcuris Festi & Paulli, quæ mihi tamen ipſi non ſatisfaciunt: nam manent, fateor, multis adhuc difficultatibus involuta, neque quemquam facile verum in omnibus ſenſum eruere poſſe arbitror, quum præſertim hodie ignoremus, quænam genuina ſint Festi verba, ex quo Paullus ſua hauſit. Si quis tamen meliora afferre valet, ego

ea libenter accipiam. Id interim ex hiſce ſaltem locis apparebit, neque in iis diſtinčte varia municipiorum genera enarrari, neque in iis quicquam eſſe, quod noſtræ doctrinæ adverſari poſſit, neque ullum denique in iis reperire præſidium eos, qui ſtatuunt, quædam municipia ſuis ſpoliata legibus, leges Romanorum accipere debuiſſe. Hæc ergo de diverſis quoque vocis municipis ſignificationibus dicta ſufficiant. Jam etiam de Præfecturis, Foris, Conciliabulis, nec non de oppidis liberis & fœderatis eſſet agendum: ſed quia hæc prima pars jam ad juſtam magnitudinem excrevit, ea omnia ad ſecundam partem reſervare volo.

Finis Partis Primæ.

INDEX RERUM

ET

VERBORUM.

Numerus major Romanus Caput; minor vulgaris numeros in margine poſitos reſpicit.

A.

Adoptio num tribuerit jus civitatis, vel municipiale. III, 36.
Ædificio quomodo quis jus Quiritium conſequi potuerit. III, 59.
Ægyptii quomodo civitatem Romanam adquirere potuerint. III, 29.
Ager effatus ubi ſitus fuerit. II, 4.
Aggenus Urbicus quando vixerit. II, 10.
Albanorum coloniæ quo jure fuerint. V, 3.
Alciatus (Andr.) notatur. III, 6, 22. IV, 45.
Anianus notatur. IV, 63.
Annalis exceptio ubi locum habuerit. IV, 56.
Antiates veteres & coloni erant diſtincti. V, 44.
Antoninus Caracalla quomodo omnibus civitatem conceſſerit. III, 28.
Ara in nummis coloniarum quid indicaret. V, 20.
Arnaud (Georg. d') notatur. III, 10.
Auguſtus quid mutaverit ratione tributorum. IV, 55.
Auſpicia urbana & extraurbana. II, 4.
neceſſaria erant in coloniis condendis. V, 21.
Autonomia oppidorum. IV, 42.
in ſpecie municipiorum. V, 43, 45.

B.

Burmannus (Petrus) notatur. III, 65. V, 13.

C.

Capua num ante ſecundum bellum Punicum fuerit Præfectura. V, 46.
num tanquam colonia militaris a Cæſare fuerit deducta. V, 22.
Caſtrum quid ſit. I, 8.
Cenſores num dare potuerint jus civitatis. III, 32.
Cenſus num tribuerit jus civitatis. III, 30.
in ſpecie ſub Imperatoribus. III, 35.
ejus cum jure ſuffragii connexio. V, 33.
Cicero emendatur. I, 12.
explicatur. III, 30, IV, 14, 15. V, 16, 17, 36, 40, 45.
Cippi pomœrii extra urbem. II, 6.
Cives honorarii quinam fuerint. III, 26.
nati ex juſtis nuptiis. III, 4.
extra juſtas nuptias. III, 6.
facti. III, 13. *ex ſervis.* III, 14.
ex liberis hominibus. III, 17.
novi & veteres quomodo differant. III, 65.
omnes in cenſum referebantur. III, 31.
quomodo inter ſe differant ratione diverſorum jurium. IV, 11, 38, 39, 40.
ſenſu lato & ſtricto. IV, 13.
Civis ingenuus apud Ciceronem quis ſit. IV, 14.
Romanus quis ſit. IV, 2, 24.
optimo jure quis ſit ſecundum Panvinium. IV, 12.

Digitized by Google

Civis Romanus optimo jure quis ſit ſecundum Manutium. IV, 13.
Kippingium. IV, 19.
Sigonium. IV, 20.
Auctorem. IV, 23.
Civium in urbe Roma prærogativa. IV, 15.
Civitas quid ſignificet, quomodo differat ab urbe oppidove. I, 2, 3, 4.
quomodo daretur vel hominibus vel locis. III. 21, 23.
Civitatem adquirendi modi. III.
quis conferre poſſet. III, 18.
quomodo communicaverint Romani. IV, 8.
Civitatis Romanæ jus quid ſit. IV, 3.
cur non omnes in illa eodem jure uterentur. IV, 7.
Coloniæ quid ſint. V, 6.
vel liberæ ſunt, vel ſubjectæ. V, 4.
vel civium R. vel Latinæ, vel Italicæ, vel provinciales. V, 7.
civium R. & Latinæ habebant jus Italicum. V, 7, 8, 9.
aliæ immunes, aliæ non immunes. V, 13.
vel togatæ vel militares. V, 14. *Harum differentia.* V, 15, 18, 19.
equeſtres & claſſicæ. V, 20.
quorum auctoritate deducerentur. V, 15, 16, 17, 21.
novæ, quid in iis conſtituendis obſervandum. V, 16.
quibus ritibus deducerentur. V, 19.
quinam in eas deducerentur. V, 18.

Colo-

Coloniæ quibus legibus uterentur. V, 44.
quatenus nova jura in iis conſtitui potuerint. IV, 44.
quibus ſacris uterentur. V, 50.
quibus juribus civitatis Romanæ gaviſæ fuerint. V, 34, 35, 36, 37.
cur deducerentur. V, 3.
Coloniarum diviſio ratione diverſorum jurium. V, 7.
diverſa erga metropolim reverentia. V, 5.
jura & differentiæ a municipiis. V, 24.
deducendarum ratio a temporibus Syllæ. V, 17.
ſigna in nummis. V, 20.
Coloni diverſæ conditionis in una colonia. V, 36.
Colonus quis ſit. V, 13.
Conſtantinopolis cur acceperit jus Italicum. IV, 60.
Conſules imperium habebant in provincias. IV, 17.
Curia ad quosnam cives pertinuerit. IV, 20, 21.
Curiata lex in coloniæ deductione neceſſaria. V, 21.

D.

DAcerius (Andr.) notatur. II. V, 54.
Dio Caſſius explicatur. V, 36.
Dionyſius Halicarnaſſeus explicatur. V, 5, 36.
Domicilium in urbe quid effecerit. IV, 34.
qui habebant, majoris erant dignitatis, quam alii cives. IV, 15, 24.
num tribuerit jus civitatis. III, 39.
Dukerus (Carolus Andr.) V, 41.

Edicta

E.

EDicta a magiſtratibus colonicis proponebantur. V, 44.
Edictum urbanum & provinciale quomodo differat. IV, 43.
Exercitus urbanus & militaris quomodo differat. V, 19.

F.

FAbrettus (Raph.) notatur. V, 20.
Feſtus explicatur. I, 9, 10. V, 42, 50, 54.
Forum duplex municipum. V, 47.
originis num generale fuerit. V, 47.
Frontinus defenditur. V, 22.
Fundi, vide Prædia.

G.

GEllius explicatur. IV, 50. V, 40, 43, 44.
Goeſius (Wilh.) notatur. V, 12, 16, 18, 39.
Gothofredus (Jacob.) partim defenditur, partim notatur. IV, 61.
Gruchius (Nicol.) IV, 50.

H.

HEineccius (Joh. Gottl.) notatur. III, 48; 50, 53, 62. IV, 43. V, 16, 43, 54.
Hiſpania quomodo jus Latii acceperit. V, 10.
Hyginus explicatur. V, 18.

Im-

I.

Immunitas quatenus cum jure Italico conjuncta, vel non. IV, 54.
ejus origo. IV, 55.
coloniarum. V, 13.
municipiorum. V, 51.
Imperatores cur tam facile communicaverint jus civitatis. IV, 9.
quomodo conferre potuerint jus civitatis. III, 18.
quomodo deduxerint colonias. V, 17.
Itali quid per legem Juliam conſecuti fuerint. IV, 52.
Iteratio quid ſit. III, 52.
Julia lex quomodo per eam Italis civitas conceſſa fuerit. III, 27. IV, 52.
Jura neceſſaria ad civem Romanum efficiendum. IV, 24.
Juriſconſulti veteris fragmentum notatur. III, 53.
explicatur & defenditur. IV, 34, 36.
Juris uniformitas quomodo per gradus introducta fuerit in imperio Romano. IV, 41. V, 44, 47, 48.
Juris vocabulum vel pro attributo perſonarum, vel pro complexu legum ſumitur. IV, 39, 51.
Jus civile & gentium quomodo differant. III, 6.
civitatis Romanæ quid ſit. IV, 3.
quibus partibus conſiſteret. IV, 4.
quis conferre potuerit. III, 18.
Jus honorum ad quos pertineat. III, 22. V, 49.
Italicum, de eo Alciati ſententia. IV, 46.
auctoris ſententia, IV, 48.
ejus diverſæ ſignificationes. IV, 49.

Jus

Digitized by Google

Jus Italicum, *locorum*. IV, 54.
pertinet etiam ad colonias civium Romanorum & Latinas. V, 7, 8, 9.
ad municipia. V, 43.
non fuit ſublatum per conſtitutionem Antonini Caracallæ. IV, 57.
quatenus ſit ſublatum a Juſtiniano. IV, 56.
Jus Latii. IV, 45. *quatenus per Antoninum Caracallam ſublatum fuerit*. IV, 58.
quomodo concederetur. V, 9.
Provinciale quotuplex fuerit. IV, 59.
publicum & privatum duplici ſenſu accipitur. IV, 51. V, 45.
Quiritium. IV, 25.

K.

K*Ippingius* (*Henr.*) *notatur*. III, 7. IV, 19.

L.

L*Atina Juniana quando pro ingenua haberetur*. III, 63.
quomodo liberis jus Quiritium conſequi potuerit. III, 61, 62.
Latina oppida varia in provinciis. V, 11.
Latinæ coloniæ habebant jus Italicum. V, 9.
Latini colonarii & Juniani vel ingenui, vel libertini. IV, 36.
colonarii quomodo jus Quiritium conſequi potuerint. III, 45.
Juniani quomodo jus Quiritium conſequi potuerint. III, 46.

Lati-

Latini coloniari, & *Junniani quomodo utrique J. Q. conſecuti fuerint.* III, 56.
num peregrini fuerint. III, 10.
ſpecialibus modis jus civitatis adquirebant. III, 43.
triplicis erant generis. III, 43.
veteres. IV, 45. *quomodo civitatis adquiſiverint.* III, 44.
quinam ſint apud Plinium. V, 10.
Latinitas quomodo concederetur. V, 9.
Latium vetus & novum. IV, 45.
Leges emendatæ & explicatæ.
L. 2. *pr. D. ne de ſtatu defunct.* III, 10.
L. ult. §. 3. 7. *D. de cenſib.* IV, 54.
L. 18. *D. de V. S.* V, 43.
L. 134. 137. *eod.* III, 50.
L. 190. *eod.* IV, 59.
L. un. C. de priv. urb. Conſtant. IV, 61.
Leges municipales num Romæ obſervatæ fuerint. V, 47.
quænam ad jus publicum vel privatum pertinuerint. V, 45.
Romanæ num in ſubſidium valuerint in municipiis. V, 48.
Legibus diverſis utebantur cives Romani. IV, 40.
Romanis vivere quotuplici ſenſu accipiatur. IV, 17.
Legitimatio num tribuerit jus civitatis. III, 37.
Lex Julia de civitate. III, 27. IV, 50.
Menſia de peregrinis. III, 9.
Servilia repetundarum. III, 44.
Viſellia de libertinis. III, 57.
Leberi extra juſtas nuptias nati cujus conditionis fuerint. III, 6.

Liberis quomodo jus Quiritium conſequi potuerint Latini. III, 48.
Liberti cives quo jure uterentur. IV, 35.
Libertus peregrinus & Romanus quis ſit. IV, 29.
Livius explicatur. III, 7, 24. V, 36, 41, 44, 45, 46.
Loca quomodo dividerentur ratione artis & juris. V, 2.
Loon (Wilb. a) notatur. III, 14.

M.

MAdernus (Job.) notatur. IV, 62. V, 11.
Magiſtri pagorum & vicorum. I, 11.
Magius (Hieron.) notatur. I, 5.
Mancipi & Necmancipi denominatio ad quas res pertinuerit. IV, 48, 55.
Manumiſſionis juſtæ requiſita. III, 14, 15.
Manutius (Paullus) notatur. IV, 13, 21, 27. V, 26, 27, 29, 31, 33.
Marcellus Donatus notatur. III, 23. V, 38.
Matrimonium, quomodo per illud adquiri potuerit jus civitatis, vel municipale. III, 38.
amitti potuerit jus civitatis. III, 8.
Mazochius (Alex. Symmachus) notatur. V, 22.
Menſia lex de matrimonio peregrinorum. III, 9.
ad quos pertinuerit, vel non. III, 10, 11.
num abrogata fuerit. III, 12.
Militia quomodo quis jus Quiritium conſequi potuerit. III, 57.
Militares coloniæ a quibus & quomodo deducerentur. V, 17, 19.
Milites quomodo in colonias deducerentur. V, 18.
uxores quando habuerint, vel non. V, 3.

Modi adquirendi civitatem Romanam, vel jus municipale. III.
ſpeciales, quomodo Latini jus Quiritium adquiſiverint. III, 43.
quos Ulpianus recenſet, ad quos Latinos pertinuerint. III, 46.
Munerum publicorum communio. V, 43.
Municeps quis ſit. V, 53, 54.
Municipale jus mariti num adquiſiverit uxor. III, 38.
quomodo adquiſitum fuerit. III.
Municipales leges quomodo valuerint. V, 47.
Municipalia ſacra. V, 50.
Municipes & municipia unde nomen habeant. V, 43.
quinam dicantur. V, 53, 54.
Municipia quænam proprie fuerint. V, 43.
an leges ſuas amiſerint. V, 41.
quomodo leges Romanorum receperint. V, 46.
Municipiorum differentia a coloniis & præfecturis, ex mente Ottonis. V, 24.
ex mente Manutii. V, 26, 28, 30, 32.
jura ex mente Spanhemii. V, 40.
genera diverſa. V, 42, 49, 50, 51, 52.
natura propria. V, 43.
omnium autonomia. V, 43, 45, 47.
ſignificationes diverſæ. V, 52.
Municipum diverſæ ſignificationes. V, 53, 54.
duplex patria & duplex forum. V, 47.
Muri quomodo ampliari potuerint ſine pomœrio. II, 7.

N.

Ativitate quomodo jus civitatis vel municipale adquiri potuerit. III, 4, 5, 6.
Nave quomodo quis jus Quiritium adquirere potuerit. III, 58.
Nori-

Noriſius (Henr.) partim defenditur, partim notatur. IV, 48, 52. V, 39.
Nuptiæ num tribuerint jus civitatis vel municipale. III, 38.

O.

Oppidorum diviſio ſecundum Plinium. V. 11.
Oppidum quomodo differat ab urbe. I, 5.
Otto (Everhard.) V, 24, 41, 43.

P.

Pagani, Pagiſcita, leges paganæ. I, 12.
Pagus quid ſit. I, 11.
Panvinius (Onuphr.) notatur. IV, 12, 32.
Paullus ICtus explicatur. III, 63. IV. 63.
Paullus Apoſtolus quomodo civis Romanus fuerit. III, 25.
Peregrini quinam ſint, horumque differentia. IV, 44, 63.
Plebiſcitum num ſufficeret ad coloniam deducendam. V, 15.
Plinius Major explicatur. V, 10, 11.
Plinius Minor explicatur. III, 65.
Plutarchus explicatur. II, 11.
Prædia Italica & provincialia quomodo differant. IV, 48, 55.
Prædia liberarum gentium & civitatum qua conditatione fuerint. IV, 55.
Præfecturarum jura, & differentia a municipiis, vide Municipia.
Præſcriptio num fuerit modus adquirendi civitatem. III, 42.
Prætor peregrinus inter quos jus dixerit. V, 47.
Provinciales & provinciale jus. IV, 52.

Pollux explicatur. II, 11.
Pomœrium quid ſit: intrane an extra urbem fuerit. II.
quomodo fuerit prolatum. II, 7.
Pompejus num novas deduxerit colonias. V, 17.

Q.

QUirites etiam liberti vocantur. IV, 30.
Quiritium jus, quando idem cum jure civitatis, quando diverſum. IV, 25, 26, 37.
de illo ſententia Manutii. IV, 27.
Panvinii. IV, 31.
Sigonii. IV, 33.
auctoris. IV, 36.

R.

REges Romani potuerintne proprio arbitrio coloniam deducere. V, 15.
Romani quinam vocentur. IV, 13.
Romanis legibus vivere & Romanis magiſtratibus regi, quid ſignificet. IV, 17.

S.

SAcrorum jus, quatenus habuerint Itali. IV, 52.
Municipia & Coloniæ, IV, 50.
Schwartzii (Chriſt. Gottl.) diſſertatio expenditur IV, 50.
Senatus auctoritas quatenus in coloniis deducendis neceſſaria. V, 21.
populique Rom. poteſtas in coloniis deducendis. V, 15.
Sententia judicis num tribuerit jus civitatis. III, 41.
Servi cur in vinculis habiti fuerint. III, 15.
quomodo cives Romani fierent. III, 14, 15.

Servi

Servi quomodo in ſpecie per cenſum. III, 34.
Servius explicatur. V, 6.
Sigonius (Carol.) notatur. III, 6, 33. IV, 20, 34, 35. V, 50.
Spanhemius (Ezech.) notatur. III, 29. IV, 43, 57. V, 11, 36, 39, 40, 54.
Subditi reipublicæ Romanæ differebant a civibus. IV, 7.
differebant inter ſe. IV, 10.
Suetonius explicatur. III, 58. V, 39.

T.

T*Ogæ jus num tribuerit jus civitatis Romanæ.* III, 40.
Tributarii & ſtipendiarii quinam vocentur. IV, 62.
Tributorum diverſa conditio. IV, 60, 62.

V.

V*Aleſius (Henr.) notatur.* IV, 50.
Vellejus Paterculus explicatur. III, 32. V, 17, 18, 21, 41.
Velſerus (Marcus) notatur. V, 12, 22.
Vexillum num in ara poſitum fuerit. V, 20.
Vici quid ſint & quotuplicis generis. I, 9, 10.
Vigiles quando inſtituti. III, 57.
Viſellia lex de libertinis. III, 57.
Ulpianus explicatur. III, 46. IV, 36.
Urbs quid ſit, & quomodo differat a civitate & oppido. I, 2, 3, 4, 5.
quomodo condatur & evertatur. I, 5, 6.
Uſucapio quando locum haberet. IV, 56.

ER-

E R R A T A.

Pag. 13. lin. 10. pro *cap.* 13. lege; *cap.* 18.
Pag. 19. lin. 5. pro *cap.* 45. lege: *cap.* 44.
Ibid. lin. penult. *pro* amphora facta *lege*: ampliores facti.
Pag. 21. lin. 2. pro *cap.* 54. lege: *cap.* 44.
Pag. 28. lin. 24. *nonos* lege: *novos.*
Pag. 36, lin. 7. pro *cap.* II. lege: *cap.* XI.
Ibid. lin. 21. pro §. 1. lege: §. 8.
Pag. 41. lin. 22. pro *pag.* 216. lege: *pag.* 226.
Pag. 43. lin. 22. *poſt* tutore *excidit*: auctore.
Pag. 44. lin. 32. ſic *lege*: ſi.
Pag. 46. lin. 13. pro *cap.* 15. lege: *cap.* 5.
Pag. 50. lin. 10. hos *lege:* ſuos.
Pag. 65. lin. 13. judicare *lege:* indicare.
Pag. 93. lin. 24. pro *lib. II.* lege: *lib. III.*
Pag. 117. lin. 27. *pro* 9. *lege*: 6.
Pag. 119. lin. 30. & ſeq. *Quæ tamen differentia* lege: *Quam tamen differentiam.*
Pag. 126. lin. 29. eo *lege*: iis.
Pag. 127. lin. 18. parte *lege:* patre.
Pag. 133. lin. 26. *dele* ea.
Pag. 140. lin. 20. *poſt* non *adde*: eſſe.
Pag. 170. lin. 13. *poſt* nec mancipi *excidit:* perinde ac in rebus mancipi.
Pag. 174. lin. 25. margini adpone numerum. 59.
Pag. 175. lin penult. oræ adſcribe numerum 60.
Pag. 179. lin. penult. *poſt* prædia *adde:* Italica.
Pag. 180. lin. 11. *poſt* ſua *adde:* ſententia.
Pag. 183. lin. ult. adjudicari *lege:* dijudicari.
Pag. 191. lin. 26. *Henricum Valeſium* lege: *Henricus Valeſius*
Pag. 215. lin. 16. Hactenus *lege:* Habemus.
Pag. 242. lin. 15. *poſt* ſcriptoribus *excidit:* colonis & municipibus.
Pag. 254. lin. 27. ſine *lege*: ſive.
Pag. 256. lin. 5. colonis *lege*: coloniis.
Pag. 257. lin. 10. margini adſcribe numerum 39.
Ibid. lin. ead. pro *pag.* 53. lege: *pag.* 55.
Pag. 292. lin. 4. *æris* lege: *æra.*

Reliqua minoris momenti errata, ſi quæ adhuc irrepſerint, Benevolus Lector per ſe facile corriget.

VA1
1542973

Digitized by Google